60 Sexto, jurisdictio, & officium Judicis delegati cessat lapsu præfixi sibi temporis; *cap.* De causis 4. & *cap.* Consuluit 24. *de offic. & potest. Jud. delegat.* Tunc enim jurisdictio nonnisi limitata, seu ad tale tempus delegata censetur, adeoque tali tempore elapso expirat etiam jurisdictio, & officium delegati solummodo ad tale tem-
61 pus; *Est communis.* Septimo, jurisdictio & officium delegati cessat finito negotio, ad quod Judex datus fuit; c. In literis 9. *de offic. & potestat. delegator.* Semel ac enim, sive bene, sive male functus est officio, desinit esse Judex; *leg.* Judex *ff. de judic.* adeo ut nequeat amplius se se interponere tali causæ, seu negotio, *quia* (ut dicit textus *in cap. Cum literis*) *ex quo Judex delegatus per se, vel per alium sententiam executioni mandavit, vel mandari præcepit, ejus auctoritas, & jurisdictio cessat, quia semel*
62 *est officio suo functus*; *Est communis.* Octavo, Jurisdictio, & officium delegati cessat recusatione legitime proposita, & pronunciata super eo sententia, quod Judex delegatus sit suspectus; *cap.* Judex 5. *de offic. delegat.* in 6. & concordant *cap.* Causam 17. *cap.* Insinuante 25. & *cap.* Suscipionis 39. *de offic. & potest. Jud. delegat. cap.* Licet 10. *de jure competent. cap.* Ut debitus 59. *de appellation. cap.* Quid suspecti 15. *caut.* 3. *quæst.* 5.

(*Iterum repete quæ sup. inseruntur, etiamque retine noviter addita art.* 10. *in fin.* verb. Appellatio, *pag.* 179.)

63 ☞ Multa sunt, quæ à Jure Pontificio generaliter delegata sunt Episcopis. Interest autem nosse, & quidem ad plures effectus, quando Episcopus in his vere procedat uti delegatus S. Sedis, & quando procedat uti Or-
64 dinarius. Ut enim aliquos afferamus effectus, priori casu, non ad Metropolitanum, sed ad Summum Pontificem appellandum est, at posteriori casu interponenda est appellatio ad Metropolitanum, Fagnan. *in cap.* Ad audientiam *num.* 47. *de ædific. eccles.* Præterea priori casu de-
65 functo Episcopo, in ea Capitulum regulariter non succedit, succedit vero posteriori casu; Leuren. *de Vicar. Episc. tract.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 461. *per tot.* Vide & alium effectum in *Add. in Ver.* Conventus *art.* 2. *num.* 8. & *duob. sequent.*

66 Ad dijudicandum autem, quando in mox dictis Episcopus procedat tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, & quando tamquam Ordinarius, hæc attendenda sunt.

67 I. Si agatur de actu, qui minime cadebat sub jurisdictione ordinaria Episcopi, non continuo pronunciandum est, procedere Episcopum ex delegatione Sedis Apostolicæ; sed videndum, utrum verba *Auctoritate Apostolica* conjuncta sint cum verbo *Concedimus*, vel si-
68 mili, an cum verbo *Facias*, vel simili. Si conjuncta sint cum verbo *Concedimus*, extensa potius dici debet jurisdictio ordinaria Episcopi ad actum illum; sint autem conjuncta sint cum verbo *Faciat*, delegata censeri debet à S. Sede particularis illa jurisdictio: Garzias *de Benefic.* 11. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 50. Leuren. *de Vicar. Episcop. tract.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 461. *num.* 3.

69 II. Si res sit de actu, quem ordinaria Episcopi jurisdictio complectebatur, non obstantibus quibuscumque verbis importantibus delegationem, dicitur Episcopus procedere qua Ordinarius, quum facta ea dicatur ad fir-
70 miorem reddendam jurisdictionem ipsius Episcopi. Hæc vero delegatio fieri à Summis Pontificibus solet cum verbis hisce: *Auctoritate etiam Apostolica*: nam particula illa, *Etia* 1, est implicativa jurisdictionis ordinariæ; Fagnan. *in cap.* His, quæ, *num.* 56. *de major. & obed.*

71 III. Si tractatur de actu, qui comprehendebatur utique olim sub jurisdictione ordinaria Episcopi, sed postea privilegio fuit exemptus, regulariter procedere dicitur Episcopus, ut delegatus Apostolicæ Sedis; Fagnan. *in cap.* Ad audientiam *num.* 46. *de eccles. ædific.* Dico *regulariter*, nam nonnumquam Summi Pontifices submoto obstaculo exemptionis, restituunt ordinariam jurisdictionem; ut quum nullis utuntur verbis continentibus dele-
72 gationem: Exemplum habes in decretis de celebratione missarum editis à S. Congregatione Concilii interprete, & approbatis à san. mem. Urbano VIII. In iis enim, ut
73 dictum est *in addit. ab verb.* Conventus *art.* 2. *num.* 7. conventus postea fundandi, qui carent duodecim Religiosis, sumto privilegio exemptionis, restituti dici debent pristinæ ordinariæ jurisdictioni Episcopi, propterea quod nullum occurrit verbum continens delegationem. Hactenus de *delegatione à Jure.*

Quod attinet *ad delegationem ab homine*, ad illustra- 74
tionem regulæ firmatæ *ab Auctore num.* 18. quod delegatus à Principe regulariter potest subdelegare, non importune quæritur an delegatus ab aliqua Sac. Congregatione Urbis dici queat delegatus à Principe ita ut possit subdelegare? Affirmare videtur Rota *in Cæsenaten. Prælationis* 4. *Maii* 1755. §. Cetera, *coram Illustrissimo Caprar. Alm. Urb. Gubernat.* & in acerrimo partium contradictorio admissum fuit à Sac. Congregatione Concilii interprete *in Larinen. Decimarum* 10. *Maii* 1755. & *in confirmatoria Decembris ejusdem anni* 1755.

Nec incongrua est quæstio illa, an delegato Vicario 75
Generali, delegatus etiam dici debeat successor in eo officio. Negant nonnulli ea de ratione, quod Vicarius Generalis ut pote dependens ab arbitrio Episcopi proprie non dicitur habere successorem. At prævaluit affirmativa sententia; propterea quod hodie Vicarius Generalis dicitur habere successorem attenta ea, quæ ubique gentium invaluit consuetudine regendi Diœceses per Vicarios Generales; Zypæus *Jur. Pontific. nov. lib.* 1. *de offic. deleg. num.* 3. Genuens. *in Prax. Curiæ Archiep. Neapolit. cap.* 85. *num.* 1.

De jurisdictione delegata, an ea partium consensu 76
tum expresso, tum tacito prorogari queat de loco ad locum, necnon de tempore ad tempus; confer Carleval. *de Jud. lib.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 8. *sect.* 1. & 2. Bocer. *de Jurisd. cap.* 6. *num.* 62. ☞

DENUNTIATIO
quoad delicta spectantia ad S. Officium.

SUMMARIUM.

1 *Afferuntur in primis edictum universalis suprema Inquisitionis Romanæ.*
2 *Ex tali edicto denuntiandi sunt hæretici, & suspecti de hæresi, schismatici, eorumque fautores.*
3 *Hæretici evidenter cogniti tales denuntiandi sunt, quamvis probari non possint.*
4 *Item denuntiandi sunt superstitiosi, si sua superstitio sit cum expressa, vel tacita dæmonis invocatione, & sit mortaliter peccaminosa.*
5 *Item denuntiandi sunt docentes, deferentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, & proferentes aliquam ex gravis propositionibus ad S. Officium spectantibus. Quæ autem sint tales propositiones* remissive.
6 *Item denuntiandi sunt Confessarii sollicitantes ad turpia in confessione &c. & frangentes sigillum confessionis.*
7 *Item denuntiandi sunt sacra scriptura abutentes in sortilegiis, incantationibus, divinationibus, & hujusmodi.*
8 *Denuntiandi sunt tamen omnes, & singuli, quot denunciandos esse præcipiunt edicta Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ, & edicta particularium Inquisitorum, seu Ordinariorum cujusque respective diœcesis.*
9 *Ad denuntiandum ex vi edictorum tenentur omnes, & singulæ personæ sive mares, sive mulieres plenum, & perfectum rationis usum habentes, sive seculares, sive moniales, & regulares cujuscumque gradus, ordinis &c.*
10 *Afferitur ad id edictum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ.*
11 *Hinc sub talibus edictis tam quoad denuntiationem activam, quam passivam, comprehenduntur regulares omnes, etiam generales.*
12 *Item etiam Cardinales, Duces, Reges, & Imperatores, licet contra ipsos non soleat procedi, nisi consulto Summo Pontifice.*
13 *Filius tenetur denuntiare patrem hæreticum, & pater hæreticum filium, etiamsi non dogmatizet. Et à fortiori ad id tenentur uxor, maritus; frater, soror, & alii conjuncti.*
14 *An quæ dicta sunt de ipsis formaliter hæreticis, dici debeant etiam de ipsis solum de hæresi suspectis,* ad num. 15.
16 *Hæreticus, aut suspectus de hæresi non tenetur denuntiare se ipsum, nisi quando interrogatur ut reus à Judice.*
17 *Item hæreticus socius criminis non tenetur denuntiare complicem, nisi quando juridice interrogatur.*
18 *Catholici non tenentur denuntiare hæreticos in locis illis, in quibus sunt permixti, id scientibus Episcopis, & Inquisitoribus.*
19 *Obligatio denuntiandi formaliter hæreticum perseverat adhuc post mortem ipsius hæretici.*
20 *Immo obligatio denuntiandi formaliter hæreticum jam mortuum, perpetuo durat.*
21 *Obligatio autem denuntiandi alios reos quantumvis vehementer de hæresi suspectos, extinguitur morte ipsorum delinquentium.*
22 *Viget obligatio denuntiandi hæreticum, quamvis credatur jam emendatus.*
23 *Viget obligatio denuntiandi delinquentem, etiamsi statim post commissum delictum pœniteat, si in ipso cognoscatur fuisse plenam advertentiam & deliberationem ad sic delinquendum.*
24 *Probabile periculum gravis damni in vita, bonis, & honore non liberat ab obligatione denuntiandi formaliter hæreticum, etiamsi non dogmatizet.*
25 *Liberat autem tale probabile periculum ab obligatione denuntiandi solum suspectum de hæresi.*
26 *Licet quis, aut quæ semel tantum maleficium, sortilegium, aut superstitionem fecerit, adhuc debet denuntiari.*
27 *Accedens ad Confessionem animo non confitendi peccata, sed inducendi Confessarium ad hæresim, est à Confessario denuntiandus, & cetera ad idem concernentia*, ad num. 43.
44 *Utrum Confessarius absolvere debeat pœnitentem priusquam denuntiationem effecerit: & quæ obligatio circa primos in præsenti materia*, ad num. 55.

1 Afferuntur in primis edictum Universalis supremæ Romanæ Inquisitionis, ut sequitur.

Noi &c. *per la misericordia di Dio, della S. Chiesa Romana Cardinali in tutta la republica christiana contra l' eretica pravità Generali Inquisitori dalla S. Sede Apostolica specialmente deputati.*

"Essendo à noi per la continua esperienza manifesto, »che molti per malizia, altri per inobedienza, altri per »ignoranza non soddisfanno all' obbigo, che hanno di »denunciare al Sant' Officio li delitti spettanti ad esso, »è che per ció succedono grandissimi inconvenienti, ed »errori, non solamente contro i buoni, è christiani cos»tumi, ma ancora contro la fede cattolica; Noi per tan»to, à' quali specialmente deve essere à cuore la gloria »di Dio, la conservazione, ed augmento della fede cat»tolica, è la salute dell' anime, volendo provvedere à »tanto disordine, con autorità apostolica à Noi commes»sa, comandiamo in virtù di santa ubbidienza, è pena »di scomunica di lata sentenza, oltre l' altre pene pres»critte da' sacri canoni, decreti, costituzioni, è bolle »de' Sommi Pontefici, per tenore del presente editto à »tute, è à ciascuna persona di qualunque stato, grado, »nè condizione, ò dignità, così ecclesiastica, come se»colare, che fra il termine di un mese, dieci, de' quali »per il primo, dieci per il secondo, è dieci per il terzo »termine perentorio, si debbano rivelare, è giuridica»mente notificare al S. Offizio, ovvero agli Ordinarj, »tutti è ciascuno di quelli, de' quali sappiano, ò abbia»no avuto, ò avrano notizia.

»Che siano eretici, ò sospetti, ò diffamati di eresia, »ò credenti fautori, ò ricettatori, ò difensori loro, ò »abbiano aderito, ò aderiscano à' riti de' giudei, ò mao»mettani, ò de' gentilli, ó abbiano apostatato dalla san»ta fede christiana.

Che abbiano fatti, ò facciano atti, da' quali si pos»sa argomentare patto espresso, ò tacito col demonio, »esercitando incanti, magie, sortilegj; porgendoli suf»fumigj, incensi per trovar tesori, ed altri intenti, chie»dendo da lui risposte, è invocandolo, ed à questo »effetto promettergli obbedienza, è consacrargli penta»coli, libri, spade, specchi, ò altre cose, nelle quale in»tervenga il nome, & opera sua.

»Che si siano ingeriti, ò ingeriscano in far esperi»mento di negromanzia, è di qualsisia altra sorte di ma»gia con entrare ne' circoli, far l' esperimento della »Caraffa, del Crivello, per trovar i medesimi tesori, è »cose nascoste rubate, ò perdute, è fare altri simili, è »superstiziose azioni ad altri fini, massime con abuso »de' sacramenti, ò di cose sagre, ò benedette.

»Che senza licenza dovuta ritenghino scritti, che »contenghino eresie ò libri eretici, che trattino ex pro»fesso di religione, ò che gli abbiano letti, ò tenuti, ò »stampati, ò fatti stampare, ò li leggano, tengano, stam»pino, facciano stampare, introducano, difendano sot»to qualsivoglia pretesto ò colore.

»Che abbiano libri di negromanzia, magia, ò conti»nenti incantesimi, sortilegj, ò simili superstizioni, mas»sime con abuso di cose sagre.

»Chi contro il voto solenne fatto nella professione in »qualsivoglia religione approvata; ò dopo aver preso l' »ordine sagro, abbia contrattato, ò contragga matri»monio.

»Chi vivendo la prima moglie, pigli la seconda, ò »vivendo il primo marito, pigli il secondo.

»Che contro i decreti, è costituzioni apostoliche ab»biano abusato, ò abusino il sacramento de la Peniten»za, servendosi de la confessione, è confessionario à fini »disonesti, sollecitando in essi i penitenti ad turpia, ed »avendo con essi discorsi di cose illecite, non conve»nienti al fine, per il quale è stato instituito.

»Che abbiano proferito, ò proferiscano bestemmie »ereticali contro Dio, la Beatissima Vergine, è Santi, ò »procedino à qualche atto di offesa, è disprezzo contro »l' Immagini, ò figure rappresentanti il medesimo,

»Che abbiano tenute, ò tenghino occulte conventi»cole, radunanze in pregiudizio, disprezzo, ò contra »la religione.

»Che abbiano indotto qualche christiano ad abbrac»ciare il giudaismo, ò altra setta contraria alla fede »cattolica, ò impedito i giudei, ò turchi à battezarsi.

»Che non essendo ordinati Sacerdoti s' abbiano con »sacrilego ardire usurpato, ò si usurpino di celebrare »mese, ancorchè non abbiano proferito le parole della »conscrazione, ó abbiano presonto di ministrare il sa»cramento della Penitenza a' fedeli di Christo, ancor»chè non si sia venuto all' atto dell' assoluzione.

»In oltre si dichiara, che quelli, i quali non dinun»cieranno, come si ordina col presente editto, non po»sano essere da alcuno assoluti, se non dal S. Officio, »dopo che averanno in esso giuridicamente rivelato li »dilinquenti, al che non possono soddisfare con bollet»tini, è lettere senza nome, ò cognome dell' autore, ò »altri modi incerti, de' quali non si tiene conto alcuno »nel Santo Tribunale.

»Si dichiara anche, che con la suddetta espressione »de' casi di sopra da Noi specificati da rivelarsi, non si »escludano gli altri casi spettanti al S. Officio, che per »altro sono compressi ne i sacri canoni, costituzioni, è »bolle de' Sommi Pontefici, nè meno col presente editto »s' intenda derogato all' altre provvisioni canoniche »apostoliche, ed agli altri editti degli Ordinarj, ed In»quisitori.

» Ed à fine che del presente editto non si possa pre»tendere ignoranza, comandiamo, che sia affisso per »i luoghi soliti di Roma, è si notifichi alli Vescovi de»lle Città vicine à Roma, nelle quali non son Inquisito»ri, acciò lo pubblichino, ed ordinino, che li parochi »delle loro diocesi lo leggano ogni anno la prima Dom. »dell' Avvento, è la prima Dom. di Quaresima; il che »parimente vogliamo, che si faccia dalli parochi, è re»gol. di Roma nelle loro chiese in tempo, che si trove»rà in esse congregato il popolo, è poi farne attaccare »alle

„alle porte delle loro chiese, è sagristie di esse un esem-
„plare del medesimo per osservare quanto in esso si
„ordina."

Dal palazzo del S. Offizio questo di 10. *de Marzo* 1677.

Loco ✠ Sigilli.

Franciscus Riccardus S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Notar.

2 Ex tali edicto manifeste patet, quinam sint denuntiandi; nempe hæretici, & suspecti de hæresi, schisma-
3 tici, eorumque fautores, & receptatores. Vide etiam *verb.* Hæreticus *num.* 32. & 33. Ubi additur, quod hæretici evidenter cogniti tales sunt denuntiandi, quamvis probari non possint.

4 Item denuntiandi sunt vere superstitiosi, si sua superstitio sit cum expressa, vel racita dæmonis invocatione, & sit mortaliter peccaminosa. Vide *verb.* Superstitio *per tot.* & signanter *num.* 76.

5 Item denuntiandi sunt docentes, deferentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, & proferentes aliquam ex pravis propositionibus ad S. Officium spectantibus. Quæ autem sint propositiones damnatæ; Vide *verb.* Propositiones damnatæ *à num.* 1. *ad* 20. Et quæ sint pravæ propositiones spectantes ad S. Officium; Vide *ibid. à num.* 22. *ad* 45.

6 Item denuntiandi sunt confessarii sollicitantes ad turpia in confessione, vel occasione, seu prætextu confessionis, tam in confessionario, quam in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo. Vide *verb.* Sollicitatio ad turpia *per tot.* & signanter *à num.* 34. sic etiam denuntiandi sunt confessarii frangentes sigillum confessionis. Vide *verb.* Sigillum Confessionis *à num.* 25. *usque in* finem.

✠ Generaliter loquendo nulla extare videtur obligatio denuntiandi sigilli sacramentalis fractorem, contra ac sentit Auctor: res etenim hujusmodi cum ad hæresim minime pertineat, neque ad Sacræ Inquisitionis tribunal pertinere dignoscitur. Dari tamen potest casus, in quo prædicti sigilli fractor denuntiandus sit, videlicet si Pœnitentiæ sacramento, atque exceptis confessionibus ad contemptum abutatur, si neget quæ catholica docet ecclesia tum circa custodiam, religionemque sacramentalis sigilli, tum circa reliqua, quæ hoc sacramentum componunt, vel similes ob alias causas sigilli fractor sit graviter de hæresi suspectus. Hisce profecto in casibus talem fractorem denuntiandi urget obligatio. ✠

✠ Asserit hic *R. Theologus*, quod generaliter loquendo, nulla extare videtur obligatio denuntiandi sigilli sacramentalis fractorem, contra ac sentit *Auctor*. Fateor quidem non extare formale & explicitum præceptum de hac denuntiandi obligatione; sed non deesse formale & implicitum, deducitur ex *cap.* Sacerdos 2. *dist.* 6. *de pœnit.* & *cap.* Omnis utriusque 12. *de pœn. & remission.* ubi decernitur tam grave delictum gravissimis pœnis esse plectendum, quod sine accusatione, seu denuntiatione evaderet impunitum; unde necesse est, ut tales fractores denuntientur, ut sic possint puniri juxta citatos canones, ne tam enormia scelera communi bono ita perniciosa, per impunitatem invalescant, quia impunitas esset maximo periculo retrahendi pœnitentes ab ipso. Hinc Alphonsus de Leone *de officio Confessarii tom.* 1. *resol.* 29. *num.* 12. *casu* 2. expresse dicit, hos confessores fractores sigilli denuntiandos esse S. Officio, & ita etiam communis vulgi opinio arbitratur, ut refert Carena *de offic. SS. Inquisitionis tit.* 17. §. 23 *num.* 29. qui tamen *num.* 91. testatur se numquam vidisse similes processus agitari in S. Officio, prout vidit quandoque eosdem agitari in foro episcopali; in quo foro episcopali egomet scio, plures fuisse cum debita cautela receptas similes denuntiationes de simplici violatione sigilli sacramentalis sine ulla suspicione hæresis, aut pravi dogmatis, & statim ab Ordinario fuisse confessarios violatores suspensos à facultate audiendi sacramentales confessiones, & denuntiationes missas fuisse Romam, unde fuisse rescriptum, observanda esse eorum vestigia, attenta relatione de eorum bona fama, & quod non fuerint recidivi. Et revera ad forum episcopale pertinet cognitio hujus delicti, ubi mera sit confessionis revelatio sine ulla mixtura hæresis aut pravi dogmatis: Si vero confessionis revelatio sit ita qualificata, ut inde oriatur suspicio hæresis, aut pravi dogmatis, spectat ad S. Officium, ut jam tradidi sub *verb.* Sigillum, *num.* 36. & cum pluribus aliis tenent Pignatell. *tom.* 1. *cons.* 53. Moifes. *part.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 25. *num.* 68. & *seqq.* Felix Potestas *tom.* 2. *pag.* 2. *cap.* 7. *num.* 233. Gobat. *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 42. *sect.* 7. *per tot.* Bonac. *disp.* 5. *de Pœnitent. quæst.* 6. *sect.* 5. *num.* 6. Diana, & alii apud Pignatel. *loc. cit.* Videantur ad rem, & exacte perpendantur tres constitutiones Benedicti XIV. prima *incip.* Suprema, sub dat. 7. *Septemb.* 1745. secunda *incip.* Ubi primum, sub dat. 2. *Julii* 1746. & tertia *incip.* Ad eradicandum sub dat. 28. *Septemb.* 1746. & public. *die* 5. *Octob. ejusd. ann.* 1746. & quæ ego tradidi in *verb.* Sigillum & in *Supplementis* ad *verb.* Confessarius. Videantur etiam quæ sub *verb.* Sigillum Confessionis, in *novis Additionibus ex aliena manu* traduntur ex diversis decretis S. Congregat. S. Officii; & ex doctrina Albicii *de Inconstantia in Fide, cap.* 35. & omnia quæ ibi concluduntur. ✠

Item denuntiandi sunt sacra scriptura abutentes in 7
sortilegiis, incantationibus, divinationibus, & hujusmodi. Vid. *verb.* Scriptura Sacra *num.* 41. & 43.

Denuntiandi sunt tamdem omnes, & singuli, quos 8
denuntiandos esse præcipiunt edicta universalis supremæ Romanæ Inquisitionis, & edicta particularium Inquisitorum, seu Ordinariorum cujusque respective diœcesis. Unde sunt ipsa diligenter attendenda, & omnimode observanda sub comminatis censuris. Vide interim *supra num.* 1.

Ad denuntiandum ex vi edictorum tenentur omnes, 9
& singulæ personæ sive mares, sive mulieres plenum, & perfectum rationis usum habentes, sive seculares, sive moniales, & regulares cujuscumque gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, & quacumque dignitate, & auctoritate etiam maxima fulgeant, ut patet ex verbis edicti allati *sup. num.* 1. & alterius ejusdem universalis, ac supremæ Romanæ Inquisitionis, quod est, ut sequitur.

"Universis & singulis Christi fidelibus tam ecclesias- 10
„ticis, quam secularibus utriusque sexus, cujusvis gra-
„dus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existenti-
„bus, & quacumque dignitate, & auctoritate etiam ma-
„xima fulgentibus, harum serie, & tenore, auctoritate
„nostra, & hujusmodi nostri officii, qua fungimur in
„hac parte, præcipimus & mandamus, quatenus infra
„duodecim dies proxime computandos, quorum primos
„quatuor pro primo, & reliquos quatuor immediatos pro
„secundo, & ultimos quatuor pro tertio termino, & pe-
„remtorio, ac ttina monitione canonica assignamus, om-
„nes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodoli-
„bet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant
„nobis vel Reverendo Commissario nostro quoad habi-
„tantes in urbe, quò vero ad alios extra Urbem, & ubi-
„vis locorum degentes Inquisitoribus, vel locorum Or-
„dinariis, vel eorum Vicariis generalibus sub excommu-
„nicationis majoris latæ sententiæ pœna, quam in con-
„trarium facientes ipso facto incurrunt, judicialiter pro-
„palare, cujus excommunicationis majoris absolutionem
„Ss. D. N. Papæ, & Nobis reservamus, certificantes hu-
„jusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam ex-
„communicationis pœnam contemnentes, quod contra
„ipsos tamquam contra hæreticorum fautores, aliàs prout
„melius visum, & judicatum fuerit, procedetur ideo &c.
„Datum in nostra, & Officii S. Rom. univ. Inquisit.
„Congregatione die 3. Januar. 1623."

Hinc sub talibus edictis tam quoad denuntiationem 11
activam, quam quoad passivam comprehenduntur quicumque regularium superiores, etiam Generales, quidquid dixerint aliqui, ut habetur expresse ex decreto Alexandri VII. *incip.* Licet alias, in quo confirmat, & ampliat constitutionem Pauli V. *incip.* Romanus Pontifex, &c. præcipitque legendum quotannis Kalendis Martii in publica refectione, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato sub pœnis privationis officii, vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ab eadem ipso facto incurrendis, &c. Unde à nemine ignorari potest dicta eorum obligatio ipsis etiam supremis superioribus subditis Regularibus imposita sub gravissimis pœnis, & censuris, etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto absque alia declaratione incurrendis, ac Papæ reservatis.

12 Item sub talibus edictis tam quoad denuntiationem activam quam passivam comprehenduntur etiam Cardinales, Duces, & Reges, ac Imperatores, licet contra illos postea non procedat, nisi consulto Summo Pontifice, Carena *de Officio Sanctissimæ Inquisitionis p.* 2. *tit.* 9. *numer.* 26. & 28. Bordon. *in Manual. consult. sect.* 26. *à n.* 16. *ad* 21. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 24. Pegna *p.* 3. *Comment.* 80. Felix Potestas *tom.* 2. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 252. Paramus *de Origine Sanctissimæ Inquisitionis lib.* 3. *q.* 5. *num.* 23. & *pluribus sequentibus, ac num.* 40. ubi refert exemplum Caroli V. Imperatoris, qui jussit Joannæ ejus filiæ ab Inquisitoribus vocatæ, ut coram ipsis de nonnullis fidem tangentibus contra quemdam interrogaretur,
8 & quid ad rem sciret, statim deponeret, tam contra alios, quam contra se, si culpabilem, ne excommunicationem incurreret: & ipsa illico, totum, quod scivit, deposuit coram D. Ferdinando Valdes, tunc Generali Inquisitore, & hoc vigore particulæ in edicto Inquisitionis universalis, ac supremæ Romanæ posita, nempe
9 *Quacumque dignitate, auctoritate, etiam maxima fulgentibus*, ut patet in edicto allato *sup. num.* 10.

Filius tenetur denuntiare patrem hæreticum, & pa-
13 ter hæreticum filium, etiamsi non dogmatizet. Et à fortiori ad id tenentur uxor, maritus, fratres, soror, & alii conjuncti. Sic Ludovicus à Paramo *de origine Sancti Officii lib.* 3. *quæst.* 8. *n.* 8. Suarez *de Fide disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 21. Farinac. *de hæresi quæst.* 197. *num.* 40. Diana *p.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 4. Bordon. *in tribunal. Fidei, c.* 31.
9 *num.* 13. Sanctarellus *de hæresi, cap.* 9. *num.* 4. Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 269. Carena *loc. cit.* §. 3. *num.* 10. testans de communissima Doctorum contra Abulensem, & paucos alios. Et hæc conclusio colligitur ex *Deuteronomii* 13. ubi expresse habetur: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam clam dicens, eamus, & serviamus diis alienis &c. non acquiescas ei, nec audias, neque parcet ei oculus tuus, ut miserearis, & occultes eum.* Et ratio est, quia bonum commune religionis prævalere debet bono privato patris, filii, &c. *Cap.* Scias frater 35. *caus.* 7. *quæst.* 1. *cap.* Bonæ memoriæ 3. *de postulat. Præl.* & ibi Gloss. *verb.* Commune, *leg.* Actione 65. §. 5. *ff. Pro socio, Novella* 39. *cap.* 1. *vers.* Ea enim cum similibus. Nec valet dicere, quod filius excusandus est ab hac denuntiatione, cum ex ipsa oriantur ei gravissima damna, ut pœna infamiæ, confiscatio bonorum, & hujusmodi; Non valet, *inquam*, quia filius denuntians patrem hæreticum evitat omnes pœnas filiis hæreticorum inflictas, ut docent Pegna *ad direct. sub litt. B. comment.* 15. *part.* 2. Sanctarellus *loc. cit. num.* 15. Suarez *loc. cit. numer.* 22. Carena *loc. cit. num.* 11. Felix Potestas *loc. cit. num.* 269. Alberghinus *in Manual. qualif. cap.* 35. *num.* 5. & alii passim.

14 An autem quæ dicta sunt de patre, filio, fratre, sorore, marito, uxore, & aliis conjunctis formaliter hæreticis dici debeant de ipsis etiam solum de hæresi suspectis; variant Doctores. Affirmant Alberghinus *in manual. qualif. cap.* 35. *num.* 7. Diana *p.* 8. *tract.* 7. *resolut.* 10. *in fine*, Felix Potestas *loc. cit. num.* 272. Carena *loc. cit. num.* 13. & alii apud ipsos. Et ratio est, quia eadem militat ratio in hæreticis, ac in suspectis de hæresi. Ubi autem eadem est ratio, ibi eadem est legis dispositio; *leg.* Ideo 26. *ff. de legibus*; *leg.* Illud 32. *ff. ad leg. Aquilam*, cum ratio legis sit anima legis; *leg.* Cum ratio 7. *de bonis damnator.* Tum quia edicta Inquisitorum loquuntur generaliter; adeoque de omnibus sunt generaliter inteligenda; *cap.* Quia circa 22. *de privileg.* & qui dicit omnia, nihil excipit; *cap.* Solitæ 6. §. Nobis *de majorit. & obed.* cum similibus.

Alii autem probabiliter defendunt contrarium. Sic
Bordon *in tribunal. fidei, cap.* 31. *num.* 13. & 14 & *in* 15
manual. consult. sect. 18. *num.* 46. Sanctarellus *de hæresi, cap.* 33. *num.* 6. Homobon. & Lazarius apud Dianam, *p.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 6. cum aliis apud Carenam, *loc. cit. numer.* 12. ubi *num.* 13. ipsemet subjungit, quod hæc opinio sit talis probabilis, & summa æquitate nitatur. Et ratio istorum est, quia ut notat Abbas *in c.* Inter sollicitudines, *de purgat. Canon. num.* 6. traditio est, quod statutum, & dispositio loquens de hæreticis non habet locum in suspectis de hæresi, & Doctores loquentes de conjunctis obligatis ad denuntiandum suos conjunctos loquuntur de suis conjunctis hæreticis, adeoque illorum traditio non debet extendi ad eosdem tantum de hæresi suspectos, cum de ipsis sit minor ratio, & minus periculum, eo vel maxime quod pœnalia potius restringi convenit, quam laxari, textu expresso *in cap.* Statutum 22. *de election. in 6.* & concordat *cap.* in pœnis 49. *de regul. juris in 6. l.* Factum 155. §. 2. *de regul. juris. l.* Cum quidam 19. *ff. de Liberis, & posthumis.* (*Vid. leg. in fin. num.* 15. *p.* 198. *verb.* Approbatio, col. 2.).

Hæreticus, aut suspectus de hæresi non tenetur de- 16
nuntiare seipsum, nisi quando interrogatur, ut reus à Judice. Sanctarellus *de hæresi, cap.* 9. *num.* 18. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *de resol.* 8. Felix Potestas *l. cit. num.* 273. Carena *loc. cit. num.* 30. & alii communiter. Et ratio est, quia nemo tenetur prodere seipsum; *Cap.* Quis aliquando, *de pœnit. dist.* 1. & nullus tenetur suam turpitudinem *detegere*; *l.* Alias 18. *ff. de jurejurando.* Immo suam turpitudinem, vel dolum allegans non auditur *leg.* Mercedem 5. *Cod. de condict. ob turpem causam*; *leg.* Si Creditoribus 5. *Cod. de servo pignori dato manumisso*; *leg.* Cum profitearis 4. *Cod. de revocandis donat. cap.* Inter dilectos 8. *de donat.* (D. Greg. Lopez in leg. 4. tit. 29. p. 7. per tot. ejus glos.)

Item hæreticus socius criminis, ut si particeps, vel 17
causa fuit, cur alter fieret hæreticus, non tenetur denuntiare complicem, nisi juridice interrogetur. Sic expresse Bonac. *tom.* 1. *disp.* 6. *punct.* 1. *de denuntiat. num.* 8. cum aliis à se citatis. Et quod complex non teneatur denuntiare complicem in quacumque materia fuerit complex, tenent Portell. *in addit. ad dubia Regular.* verb. Denuntiatio *num.* 10. Suarez & Megala, apud Dianam *loc. cit. resol.* 9. Bordon. *loc. cit. num.* 15. Hurtado, & alii apud Leandrum *de pœnit. tract.* 5. *disp.* 13. *quæst.* 43. Et ratio est, quia, ut dictum est numero antecedenti, nemo tenetur seipsum procedere, nisi juridice interrogetur, nec suam turpitudinem detegere per jura allegata: Complex autem in tali casu saltem indirecte proderet se ipsum, & detegeret turpitudinem suam, cum non possit quis manifestare complicem delicti, quin manifester seipsum. Tum quia complex denuntiatus interrogatus manifestaret denuntiatorem socium criminis: Fateor tamen vere probabilem esse etiam contrariam sententiam, quæ dicit, quod in casu hæresis formalis tenetur quis denuntiare complicem, licet ad id non teneatur in casu suspicionis hæresis, uti tenent Bordon. *loc. cit. num.* 19. & alii apud ipsum, & Felix Potestas *loc. cit. nun.* 275.

Catholici non tenentur denuntiare hæreticos in locis 18
illis, in quibus hæretici sunt permixti cum Catholicis, id scientibus Inquisitoribus, & Episcopis, cum nemo obligetur ad opus inutile: Navarrus *conc.* 3. *de hæreticis*, Bonacina *loc. cit. num.* 9. & alii passim.

Obligatio denuntiandi formaliter hæreticum non ex- 19
tinguitur morte ipsius hæretici, sed perseverat adhuc post ejus mortem. *Communis.* Et ratio est, quia crimen hæresis semper serpit, ut cancer, cum sit naturæ pestiferæ: *Cap.* Inquisitionis 18. *de hæreticis in* 6. Unde hæretici etiam post mortem sunt excommunicandi, seu declarandi excommunicati, privandi ecclesiastica sepultura, aut exhumandi, ac ejus ossa comburenda, si possint ab ossibus catholicorum perfecte discerni; aliàs sunt eorum statuæ comburendæ; *C.* Sane 6. *caus.* 24. *quæst.* 2.

Immo obligatio denuntiandi formaliter hæreticum
jam mortuum perpetuo durat. *Sic communis Doctorum.* 20

Et ratio est, quia hæresis semper serpit, & perpetuo propagatur contra fidem, adeoque perpetuo durat obligatio denuntiandi formaliter hæreticum, etiamsi mortuum, ut sic per combustionem ejus statuæ in perpetuum damnetur ejus memoria, & in perpetuum ad aliorum terrorem extinguatur ejus hæresis.

21 Obligatio autem denuntiandi alios reos quantumvis vehementer de hæresi suspectos, extinguitur morte ipsorum delinquentium. Alverghinus *in Manual. qualif. capit.* 36. *num.* 4. & apud ipsum Pegna, Castrop. Diana, *p.*4. *tract.*7. *resol.* 28. Felix Potestas *loc. cit. num.* 244. & alii. Et ratio est, quia contra suspectos de hæresi, etiamsi fuerint fautores, defensores, & receptatores hæreticorum, cum non sint formaliter hæretici, post mortem procedi non potest; *cap.* Accusatus 8. §. Si vero, *vers.* Porro, *de hæreticis in* 6.

22 Viget obligatio denuntiandi hæreticum, quamvis eredatur jam emendatus, Diana *part.*2. *tract.*4. *resol.* 3. Carena *loc. cit. num.* 24. Suarez *de fide disp.*20. *sect.*4.*numer.* 13. Farinac. *de hæresi quæst.*197. *num.* 52. Bonacina *loc. cit. num.* 5. Felix Potestas *loc. cit. num.* 278. & alii plures contra alios. Et ratio est, quia talis hæreticus posset fingere se emendatum ad effugiendam denuntiationem; Tum quia posset esse, quod alios infecerit sua hæretica pestilentia, seu quod ab aliis fuerit infectus. Unde necesse est, ut hoc Judicibus fidei plene innotescat; Tum etiam quia finis edictorum præcipientium denuntiationem non est sola emendatio delinquentis, sed punitio ad publicum exemplum, & aliorum terrorem. *Vide verb.* Sollicitatio ad turpia in sacramentali confesione *n.*47.

Viget obligatio denuntiandi delinquentem, quem
23 post commissum delictum superstitionis, aut blasphemiæ statim pœnitet, si in ipso cognoscatur fuisse plenam advertentiam, & deliberationem ad sic delinquendum. Bordon. *in Tribunal. Fidei cap.*31. *num.*9. Felix Potestas *loc. cit. num.* 279. & alii. Et ratio est, quia in delictis solum consideratur voluntas deliberata in factum transiens, & non voluntatis perseverantia, aut subita retractatio: Si autem in aliquo casu tales interveniant externæ circumstantiæ, ut ex ipsis possit prudenter colligi, ipsum in blasphemiam v. g. prorupisse sine plena advertentia ad malitiam, aut sine pleno consensu voluntatis, & mente non integra, sed turbata ex vehementi passione, tunc sicut excusaretur á culpa, ita esset excusandus à pœnis, cum ubi non est culpa, non debeat esse pœna; *cap.* Cognoscentes 2. *de constitutionibus*; *cap.* Quæsivit 2. *de his quæ fiunt à majori parte Capituli*, *leg.* Sancimus 22. *Cod. de pœnis.* (*Vide leg.* 12. *tit.* 14. *p.* 3. 26. *tit.* 1. 9. *tit.* 31. *p.* 7. quæ cum præcedenti doctrina consonant.)

24 Probabile periculum gravis damni in vita, bonis, & honore non liberat ab obligatione denuntiandi hæreticum formalem, etiamsi non dogmatizet. Bordon. *in Tribunal. Fidei*, *cap.* 31. *n.*11. & *in Manual. consult. sect.*25. *num.* 176. & *sect.* 18. *num.* 47. Diana *part.* 1. *tract.* 4.*resolut.*7. Bonacina *loc. cit. num.*6. Felix Potestas *loc. cit. numer.* 167. Carena *loc. cit. num.* 34. cum pluribus aliis ab ipso citatis. Et ratio est, quia hæresis formalis etiam non dogmatizantis est contra religionem, & bonum commune totius reipublicæ catholicæ: bonum enim publicum, & commune prævalet bono privato, & proprio; *c.* Scias frater 35. *caus.* 7 *quæst.* 1. *cap.* Bonæ memoriæ 3. *de portulat. Prælator.* & ibi: *Glossa verbo* Commune, *l.* Actione 65. §. 1. *ff.* Pro socio, *Novella* 39. *cap.* 1. vers. *Ea enim.*

25 Liberat autem tale probabile periculum ab obligatione denuntiandi suspectum de hæresi *v. g.* blasphemum, sortilegium, abutentem sacramentis, & hujusmodi. Sic citati Doctores numero antecedenti. Et ratio est, quia suspicio hæresis non ita serpit contra religionem catholicam, ut hæresis: Tum quia pœnæ latæ contra hæreticos nullam faciunt mentionem de suspectis, adeoque sicut rigor pœnarum contra hæreticos non extenditur contra suspectos; *arg. cap.* In Pœnis 49. *de regulis juris in* 6. *cap.* Statutum 22. *de election. in* 6. *l.* Factum 155. §. 2. *ff. de regulis juris*, *leg.* Cum quidam 19. *ff. de liberis*, & *posthumis* cum similibus; Ita nec rigor denuntiandi hæreticum cum probabili periculo gravis damni in vita, bonis, & honore extendi debet contra suspectos. (*Vid. sup. num.* 15.)

Licèt quis, aut quæ semel tantum maleficium, sortilegium, aut superstitionem fecerit, adhuc debet denuntiari; quia edicta Inquisitorum non præcipiunt denuntiari exercentes talia delicta, sed committentes. Qui autem, vel quæ semel tantum maleficium, sortilegium, aut superstitionem fecit, vere delictum in edictis conprehensum commisit, adeoque debet denuntiari, sicut denuntiandus est confessarius, qui semel tantum sollicitavit. Felix Potestas *loc. cit. num.* 282. & alii. 26

Accedens ad confessionem animo non confitendi pec- 27
cata, sed inducendi confessarium ad hæresim, est à confessario denuntiandus; Genuens. *in præx. cap.* 18. *n.* 16. alios allegans, Carena *loc. cit. num.* 21. Felix Potestas *loc. cit. num.* 280. cum aliis ibi allegatis. Et ratio est, quia talis non est sacramentalis confessio, sed modus perversus occultandi hæresim, & secretò alios pervertendi. Non tenetur tamen, nec potest confessarius denuntiare hæreticum, quem talem scit ex vera ipsius sacramentali confessione. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *in responsione ad secundum argumentum*, ubi dicit falsum esse sequens Juristarum argumentum: *Est hæresis crimen, quod nec confessio celat.* Et sic tenet communis Theologorum, 28
& ratio clara est, quia confessarius nullo pacto potest frangere sigillum sacramentale, cum ad illud tenentur triplici jure, scilicet naturali, divino, & humano, seu ecclesiastico. *Vide verb.* Sigillum Sacramentalis Confessionis *à num.* 2.

Immo nedum confessarius, sed nec qui casu aliquo 29
talem pœnitentem suam hæresim confessario vere sacramentaliter confitentem audivit, debet, ac potest denuntiare, & revelare, quia nedum confessarius, sed etiam alii casu audientes tenentur ad sigillum sacramentale. Scotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. §. *De quarta conclus. litt. H.* Bordon. *in Manual. consult. sect.* 18. *num.*26. Felix Potestas *loc. cit. num.* 281. *Vide dict. verb.* Sigillum *à num.* 7.

Non excusatur tamen à denuntiando hæreticum 30
formalem confessarius sciens delictum ratione consilii à se petiti, nisi consilium à se petatur, & detur in sacramentali confessione; quia in casu hæresis formalis solum à denuntiando excusat secretum ex sigillo sacramentalis confessionis. Scotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.*2. §. Ad argumentum *litt. M.* Felix Potestas *loc. cit. num.* 262. & alii passim.

Ab obligatione denuntiandi hæreticum, aut supec- 31
tum de hæresi non excusat secretum naturale, & sub juramento de non revelando. Diana *resol. moral. part.* 1. *tract.* 4. *resol.*24. alios allegans. Suarez *de fide*, *disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 17. Sanctarellus *loc. cit. cap.* 9. *num.* 10. Pegna *part.* 2. *comment.* 18. Farinac. *loc. cit. quæst.* 197. *num.*50. Felix Potestas *loc. cit. num.* 27. cum aliis apud ipsos. Et ratio est, quia servare secretum naturale est bonum privatum, illud vero manifestare est bonum publicum, cum illud tacere præjudicet bono publico: Bonum autem commune prævalere debet bono peculiari per jura adducta *supr. num.* 20. Nec obstat juramentum de non revelando, quod juramentum non est institutum, ut esset vinculum iniquitatis; *cap.* Quarto 18. *de jurejurando*, *c.* Inter cetera 22. *caus.* 22. *quæst.* 4. (*Consonat lex* 38. *tit.*5. *p.* 5. præsertim *lex* 28. *tit.* 11. *ejusd. p.*)

Nec etiam excusat ab obligatione denuntiandi, si 32
delictum sit occultum, & probari non possit, ex decreto Alexandri VII. 24. *Sept.* 1661. *proposit.*5. & sic communis Doctorum.

Item non excusatur ab obligatione denuntiandi, qui 33
commissum ab aliquo delictum ad sanctum officium spectans audivit à persona fide digna. Bordon. *in Trib. Fidei*, *cap.* 31. *num.* 21. Bonac. *loc. cit. num.* 7. Leander *de Sacram. Pœnit. tract.* 15. *disp.* 13. *q.*37. Felix Potestas *loc. cit. num.* 24. & alii passim. An autem denuntiare te- 34
neatur, qui audivit à persona levi, & non fide digna, *Vide verb.* Sollicitatio *num.* 36.

Quando plures sciunt ab aliquo commissum fuisse 35
delictum ad sanctum officium spectans, etiamsi unus denuntiaverit, non excusantur alii ab obligatione denuntiandi: quia obligatio denuntiandi omnes stringit, nec sunt superfluæ aliorum denuntiationes, quia semper addunt nova testimonia; ita ut sint plures testes ejusdem singularis delicti; sicque facilius convincatur delinquens, Bordon. *in Manual. consul. sect.* 18. *num.* 30. Felix Potestas *loc. cit. num.* 251. & 594.

36 Denuntiatio hæretici ex malitia, aut suspecti de hæresi est facienda nulla præmissa correctione fraterna; etiamsi firmiter emendatio speretur. Habetur expresse ex decreto sanctissimæ Inquisitionis de mandato Alexandri VII. edito die 8. Julii 1660. incip. Licet alias, ibi: *Etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri, &c. ad denuntiandum.* Et sic Doctores communiter, qui tamen volunt esse præmitendam correctionem fraternam, quoad eos, qui non ex malitia, sed ignorantia, vel simplicitate aliquem habent errorem, aut aliquam proferunt falsam, ac inconsideratam propositionem, maxime si nulla de ipsis habeatur fundata suspicio, quod sint hæretici.

37 Denuntiatio delictorum ad sanctum officium spectantium facienda est intra præfixum terminum in edictis Inquisitorum, seu Ordinariorum, qui in edictis supræmæ, & universalis Inquisitionis Romanæ solet esse, vel triginta dierum, ut in edicto de anno 1677. adducto *sup. num.* 1. vel duodecim dierum, ut in edicto de anno 1623. relato *cap. num.* 10. in edictis autem Inquisitionis Hispaniæ solet esse sex dierum. Et in edictis Inquisitorum, & Episcoporum Italiæ solet esse duodecim dierum, ut patet in edicto generali sancti officii Cremonæ edito 26. Octobris 1629. una simul ab Eminentissimo Cardenali Petro Camporio ejusdem urbis Episcopo, & à Reverendissimo Patre Magistro Petro dictæ civitatis, & diœcesis Inquisitore, relato à Carena *loc. cit. sub num.* 24. *ubi in fine* §. septimi, testatur se præmittere edicti totius formam eo modo, quo ex sacræ congregationis sancti officii præscripto solet in Italia publicari. Unde pro cognoscendo termino ad faciendam denuntiationem præfixo sunt inspicienda, & attendenda edicta cujusque respectivæ diœcesis, & provinciæ.

38 Qui sine justa causa, & legitimo impedimento non denuntiat talia delicta intra præfixum terminum in edicto suæ provinciæ, seu diœcesis, peccat mortaliter, & incurrit ipso facto excommunicationem reservatam Summo Pontifici, & Inquisitoribus, seu Ordinariis. Habetur expresse ex Constit. Gregorii IX. *incip.* Excommunicamus, Innoc. IV. *incip.* Noviter universitas, Nicolai IV. *incip. pariter* Noverit universitas, Gregorii XV. *incip.* Universi Dominici Gregis, Pauli V. *incip.* Romanus Pontifex; Ex Decret. Alexandri VII. *incip.* Licet alias; Ex edictis supremæ, & universalis Inquisitionis Romanæ, relat. *sup. num.* 1. & 12. Et ex edictis particularium respective Inquisitorum, seu Ordinariorum.

39 Qui intra dictum præfixum terminum talia delicta non denuntiavit, tenetur adhuc post elapsum dictum terminum denuntiare. Nam prædictus terminus non apponitur in edictis ad finiendam, sed ad solicitandam obligationem denuntiandi. *Communis.*

40 Denuntiatio in regnis Hispaniarum fieri debet solis Inquisitoribus. In aliis vero regnis, & provinciis potest fieri etiam Episcopis; Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 28. Fagundez *in secund. præcept. ecclesiast. l.* 4 *cap.* 3. *num.* 31. Felix Potestas *loc. cit. num.* 39. Carena *loc. cit. num.* 36. & *seq.* & alii passim. Colligitur aperte ex cit. constit. Gregorii in materia sollicitationis mandante fieri denuntiationem *Inquisitoribus*, *seu Locorum Ordinariis.* Nec per alias constitutiones delegantes ad id specialiter Inquisitores, intelligitur ablata jurisdictio, quæ alias competebat Ordinariis; Tum quia in hac nostra provincia mediolanensi edicta, quæ publicantur, emanant sub nomine Episcoporum, & Inquisitorum, teste Carena *loc. cit. sub num.* 37. Qui tamen *ibid. num.* 38. merito consulit Episcopis, ut hujusmodi denuntiantes mittant ad Inquisitores; quia in sancto officio melius formantur processus, ratione secreti, quam in curiis episcopalibus, & multa evitantur dispendia.

41 Pœnitens, qui ob non factam denuntiationem intra præfixum terminum incurrit excommunicationem, quamvis accedat ad confessarium, & promittat se statim denuntiaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit prilegiatus. *Vide verb.* Sollicitatio *num.* 51.

Pœnitens, qui ob omissam denuntiationem incidit in 42
excommunicationem, facta postea denuntiatione, potest quidem absolvi à privilegiato, non autem à simplici confessario. *Vide* ibidem *num.* 52.

Sic pœnitens, qui intra debitum tempus non denun- 43
tiavit, quamvis postea ex aliqua causa extinguatur onus denuntiationis, non potest absolvi à simplici confessario, sed solum à privilegiato. *Vide* ibid. *num.* 53.

Regulariter loquendo confessarii non debent absol- 44
vere pœnitentes obligatos ad denuntiandum, antequam actu denuntient. *Vide* ibid. *num.* 55.

In aliquibus tamen casibus expedit, quod confessa- 45
rii ipsos absolvant ante factam denuntiationem. *Vide* ibid. *num.* 56.

Confessarii cautissime procedere debent circa im- 46
ponendam pœnitentibus obligationem denuntiandi. *Vide* ibid. *num.* 57.

In casu, quo reperiatur vera obligatio denuntiandi, 47
nec possit pœnitens induci ad personaliter denuntiandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, & monialibus, servanda est praxis justa *decretum supremæ universalis Inquisitionis Romanæ jussu* Urbani VIII. 27. *Septembris*, 1624. editum. Quod si neque ad id possit talis verecunda pœnitens flecti, recurrendum est ad sanctam sedem, & interim tanquam indisposita nequid absolvi. *Vide* ibid. *num.* 10. & 58.

Quamvis confessarius non moneat pœnitentem de 48
obligatione denuntiandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. *Vide* ibid. *num.* 60.

Confessarii, qui culpabiliter, & malitiose non mo- 49
nent pœnitentes de obligatione denuntiandi, seu docent ad id non teneri, sunt denuntiandi Episcopis, vel Inquisitoribus, qui possunt, & debent illos punire pro modo culpæ. *Vide* ibid. *num.* 61.

Denuntiationes debent fieri in scriptis cum expres- 50
sione nominis, & cognominis denuntiantis, & subscriptione illius, si sciat scribere, & non denuntians hoc modo non potest absolvi. Unde non sufficit denuntiare schedulis, aut epistolis sine nomine, aut cognomine auctoris, aut aliis modis incertis, de quibus nullatenus curatur in tribunali S. Officii, ut patet ex verbis edicti relati *supr. sub num.* 1. Sic Genuens. *in praxi cap.* 18. *num.*2. Lazar. *de blasfem. quæst.* 12. *num.* 47. Carena *loc. cit. numer.* 27. cum aliis ibi allegatis.

Omittentes denuntiare hæreticum, cum possunt, & 51
ad id tenentur ex officio, ut sunt Notarii, socii, satellites, & similes ex officio servientes sancto tribunali, & testes legitime interrogati veritatem celantes, aut minuentes, sunt suspecti de hæresi, & fautores hæreticorum, adeoque ultra excommunicationem edicti, sunt etiam ipsi denuntiandi. Farinac. *de hæresi quæst.* 197. *num.* 38. & 48. Lazar. *de blasphem. quæst.* 12. *num.* 11. Sanctarell. *de hæresi cap.* 9. *num.* 19. Leonard. Duard. *lib.* 2. *Canon.* 1. *quæst.* 32. *num.* 12. Pegna *ad Director. part.* 2. *comment.* 78. *vers.* Postremo, Felix Potestas *loc. cit. num.*286. Repertor. Inquisitor. *in verb.* Fautores, *vers.* Item indicatione, Decian. *in tract. criminal. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 25. Carena *loc. cit. num.* 41. & 42. & alii plures apud ipsos. Si autem supradicti omittant denuntiare hæ- 52
reticum, non in defensionem, & favorem hæresis, sed ob aliam causam in se honestam, v. gr. ob metum cadentem in constantem virum, ob consanguinitatem, amicitiam, & hujusmodi, nec sunt suspecti de hæresi, nec ullam incurrunt censuram: quia sicuti censura fertur in hæreticum propter hæresim, ita ferri debet in fautores hæreticorum ut talium, cum accessorium sequi debeat suum principale; *cap.* Accessorium 52. *de regul. juris in* 6. *leg.* Nihil dolo, §. Cum principales 129. & *leg.* Cum principalis 578. *ff. de regul. juris.* Sic Doctores citati, & alii passim.

Sic etiam ommittentes denuntiare suspectum de hæ- 53
resi, non sunt ita suspecti de hæresi, ut sint denuntiandi, quamvis possint puniri omnibus pœnis statutis in edictis Inquisitorum. Carena *loc. cit. num.* 46. Lupus apud Bor-

Bordon. *in Manual. consult. sect.*18. *num.*72. qui licet dicat ibi sub *dicto num.* 72. tales omittentes dictam denuntiationem esse suspectos de levi, tamen *sub num.*73. subjungit, quod non sint denuntiandi. Et ratio conclusionis est, quia, ut recte dicit Carena *loc. cit.* aliàs contra omnes regulas juris præsumptio oriretur ex præsumptione, & suspicio ex suspicione.

34 Legitime impeditus, durante impedimento, non tenetur denuntiare per alium; quia obligatio denuntiandi est personalis. Immo, si cum primò habet notitiam delicti denuntiandi, adest legitimum impedimentum ad denuntiandum per semetipsum, tunc durante tali legitimo impedimento, potest à quolibet simplici confessario absolvi cum firma promissione denuntiandi, impedimento cessante. Tunc enim non habetur reservatio, nec etiam delictum non denuntiando, cum ad impossibilia nemo obligatur; *cap.* Nemo potest 6. *de regulis juris in* 6. *leg.* Impossibilium 185. *ff. de regulis juris.* (*Consonat* lex 17. & 21. tit. 11. p. 5. lex 1. usque ad 5. tit. 4. p. 6. Vid. leg. 22. tit. 13. p. 2. *cum leg.* 6. *tit.* 4. *p.* 4.)

35 Alia ad rem. *Vide verb.* Hæriticus, *verb.* Libri prohiti, *verb.* Sigillum Sacramentalis Confessionis, *verb.* Sollicitatio ad turpia, *verb.* Superstitio.

(*Circa antecedentia recognoscatur additio ultimate præventa, verb.* Apostasia *pag.* 147. *nec officit totum dictum verbum perlegere.*)

DENUNTIATIONIS MATRIMONII.

SUMMARIUM.

1 *Denuntiationes matrimonii quid sint, & an peccent quorum negligentia vel dolo omittuntur*, ad numer. 2.

3 *Quæ pœnæ contrahentibus, testibus, ac Parochis ob omissionem hujusmodi statuantur*, ad num. 10.

11 *Quibus diebus denuntiationes sint faciendæ, & quando illas repetere opus sit*, ad num. 22.

23 *A quibus, & quorum auctoritate fieri debeant vel possint*, ad num. 28.

29 *Utrum liceat regularibus denuntiationes publicare inter missarum solemnia.*

30 *Quibus competat jus denuntiationes remittendi, ac in illis dispensandi*, ad num. 43.

44 *Quot, & quæ causæ præcipuæ dispensandi facultatem tribuant*, ad num. 60.

61 *An Ordinarius unquam stricte teneatur dispensare & ab illo denegante an appellatio detur*, ad num. 63.

64 *Utrum denuntiationes requirantur ad validitatem matrimonii.*

65 *Post factas denuntiationes quæ sint fidelium partes circa impedimentorum revelationem*, ad num. 68.

69 *Prædictorum confirmantur aliqua, & non nihil peculiare ad rem de Polonia, & Servia animadvertitur*, ad num. 72.

73 *Subnectuntur additiones ex aliena manu*, ad num. 80.

1 Denuntiationes matrimoniales sunt proclamationes, seu notificationes publicæ de matrimonio duorum inter se contrahendo, in ecclesia coram populo congregato faciendæ, ad hoc ut, si quis aliquod dirimens, aut impediens impedimentum inter contrahere volentes sciat, possit adhuc in tempore manifestare. *Est in re communis, argument. c.* Cum inhibitio 3. *de clandestina desponsi.* & Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. matrim. cap.* 1. Si matrimonium contrahatur sine legitima dispensatione, absque præviis denuntiationibus, parochus, & contra-
2 hentes, sicuti, & testes dolose assistentes peccant mortaliter; argum. cit. *c.* Cum inhibitio 3. *de clandestin. desponsi.* §. 1. ibi: "Statuimus, ut cum matrimonia fuerint »contrahenda, in ecclesiis per ecclesiæ presbyteros pu»blice proponantur competenti termino præfinito, ut »circa illum, qui voluerit, legitimum impedimentum »apponat." Et Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. matrimon. c.* 1. ibi: "Sacri Lateranensis Concilii sub Inno»centio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit; ut »in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter »à proprio contrahentium Parocho tribus continuis die»bus festivis inter missarum solemnia publice denuntie»tur, inter quos matrimonium sit contrahendum; qui»bus denuntiationibus factis, si nullum legitimum oppo»nitur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in »facie ecclesiæ procedatur." Quæ leges, *ut videt*, gra»viter obligant, & consequenter à contemnentibus ipsas graviter peccatur, ut cum communi docet Sanchez *lib.* 16. *num.* 3. *disput.* 5. *num.* 6. Navarrus *in manual. cap.* 16. *num.* 36. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 147. Monacelli *tom.* 3. *titul.* 8. *form.* 5. *num.* 2. & *sequentib.* Reiffenst. *lib.* 4. *decretal. titul.* 3. *num.* 4. & cum plurimis aliis à se citatis Barbosa *de offic. Episcop. part.* 2. *allegat.* 32. *num.* 2. Cardinal. de Luca *de matrimon. disc.* 3. *num.* 7.

Hinc graves pœnæ infliguntur omittentibus culpa- 3
biliter tales denuntiationes, ut patet *in dict. cap.* Cum inhibitio §. Si quis, & §. Sane, & in Concil. Trident. *dict. sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 1. ✠ Pœnæ autem tam graves non possunt infligi ob solum peccatum veniale, cum pœna debeat correspondere delicto; *argum. c.* Felicis 5. *de pœnis in* 6. §. Illud, ibi: "Judex in ta»lem pœnam metiatur ex culpa, ut secundum quod ex»cessus exegerit, vindicta procedat." Pœnæ igitur de- 4
terminatæ contra contrahentes sinè denuntiationibus, sunt istæ. Prima, quod si sine denuntiationibus cum impedimento dirimente contrahunt, proles procreatæ sint illegitimæ, etiamsi dicant se impedimentum ignorasse; *cit. cap.* Cum inhibitio, §. Si quis, ibi: "Si quis vero hu»jusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire præ»sumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles »de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censea»tur, de parentum ignorantia nullum habitura subsi»dium." Secunda pœna est, quod eis sit adempta spes »impetrandæ dispensationis super tali impedimento. Con»cil. Triden. *sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 5. ibi: "Quod 5
»si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisi»tas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem sub»jiciatur pœnis (scilicet separetur, & spe dispensationis consequendæ careat) non enim dignus est, qui eccle»siæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præ»cepta temere contemsit." Tertia pœna est, quod præsumentibus contrahere matrimonium, omissis etiam in gradu permisso denuntiationibus, condigna pœnitentia injungatur; *cit. c.* Cum inhibitio 5. §. Sane, ibi: "Sed his, »qui taliter præsumpserint etiam in gradu concesso copu»lari, condigna pœnitentia injungatur." Quæ pœniten- 6
tia cum ibi non sit præscripta, debet arbitrio Judicis irrogari; *arg. c.* de causis *de offic. delegat.* Sacra quoque Congregatio Concilii teste Sellio *in select. can. cap.* 21. *num.* 10. Pignatell. *tit.* 4. *consult.* 147. *num.* 17. censuit debere his taliter contrahentibus imponi pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ, & nullo modo ab illo, nisi publica pœnitentia peracta, esse absolvendos.

Pœna determinata in jure contra parochos præsumen- 7
tes interesse matrimoniis omissis denuntiationibus, vel contemnentes prohibere similia clandestina matrimonia, est suspensio ab officio per triennium; & etiam gravior pœna arbitrio Judicis inferenda, si culpæ qualitas exegerit; *citat. c.* Cum inhibitio §. Sane, ibi: "Sane si paro»chialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contem»serit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit »interesse, triennium ab officio suspendatur, gravius »pu-

✠ Quæ pœna sit determinata in eos, qui absque præviis denuntiationibus matrimonium contrahunt, benè in hoc opere discernitur. (1).

(1) Vide infrà verb. *Matrimonium, art.* 2.

»puniendus, si culpæ qualitas exegerit:" concordat Concil. Trident. *citat. sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 1. Hæc autem pœna suspensionis non est latæ, sed ferendæ sententiæ; ut clare indicat verbum illud in textu: *Suspen-*
8 *datur*; *Sic communis.* Contra testes dolose talibus clandestinis matrimoniis præsentiam præstantes, licet nulla determinata pœna sit à jure imposita, possunt tamen ab Ordinariis pœna arbitraria puniri, ut cum multis à se ci-
9 tatis tenet Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 147. *num.* 18. Monacell. *t.* 3. *tit.* 2. *formul.* 5. *num.* 4. & sic censuit Sacra Congreg. Concil. *die* 10. *Februarii* 1628. in qua propositis sequentibus dubis.

10 1 An Episcopus possit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum?
2 An eos, qui contrahunt coram parocho ex causa justa dissentiente?
3 An eos, qui contrahunt omissis denuntiationibus?
4 An possit punire testes intervenientes in prædictis casibus?
5 An possit in eisdem casibus punire pœnis pecuniariis, locis tamen piis applicandis? Sac. Cong. &c.
Ad 1. 2. & 3. respondit, Episcopum posse.
Ad 4. posse, quatenus testes sint in dolo.
Ad 5. pariter respondit, posse.

11 Et eadem Sacra Congregatio Concilii *in Boven.* 28. *Jan.* 1690. respondit, quod Episcopus contra eos, qui parochum dolose compulsum adesse curarent, & matrimonium sine denuntiationibus contrahere præsumerent, potuisset in synodo in subsidium pœnæ pecuniariæ (si ista esset inexigibilis) imponere etiam pœnam excommunicationis juxta quintum decretum Concilii Provincialis Mediolan. quod admittit etiam Card. de Luca *de matrim. discurs.* 2. *num.* 7. *vers. opponebatur*, Pignatell. *t.* 3. *cit. consult.* 147. *num.* 17. Monacell. *t.* 3. *tit.* 2. *formul.* 5. *num.* 4.

12 Denuntiationes debent fieri tribus diebus festivis continuis inter missarum solemnia, textu expresso Conc. Trid. *l. c.* ibi: "Antequam matrimonium contrahatur, ter »à proprio contrahentium parocho tribus continuis die»bus festivis inter missarum solemnia publice denuntie-
13 »tur, inter quos matrimonium sit contrahendum." Præfati tres dies festivi pro denuntiationibus non debent sibi immediate succedere, uti succedunt festa Paschalia, Pentecostalia, & Natalitia, sed inter unam, & alteram denuntiationem unus saltem, vel duo dies interponi debent, ut populus sufficiens habeat apponendi, aut impedimenta detegendi tempus, qui est finis legis & sic fuit statutum in Concil. Coloniensi III. *tit. Censur. c.* 32. ibi. *Tribus diebus festis à se invicem distantibus*; & similiter *in Moguntino IV. cap.* 38. & tenent Vincentius de Justis *c.* 19. *de matrimon. clandestino num.* 197. Reginald. *l.* 31. *num.* 225. Coninch. *disp.* 28. *num.* 47. Aloys. Riccius *in praxi rerum fori eccles. resol.* 244. *n.* 4. & cum
14 aliis Barb. *de offic. & pot. Episc. alleg.* 37. *n.* 12 & supr. Trident. *sess.* 24. *de ref. matrimon. c.* 1. *n.* 19. Parochus non peccat mortaliter, si uno, vel altero die festo omittat denuntiationes, dummodo inter unam, & alteram multos dies festos non interponat; nam si multos dies festos interponeret, peccaret mortaliter, quia faceret contra prohibitionem ecclesiæ in re gravi, & ob magnum temporis intervallum, seu moram fieri posset, ut parochiani tardiores evaderent ad deferenda impedimenta, & interim obliviscerentur præcedentium denuntiationum. Reginal. *l.* 31. *num.* 226. Sanchez *disp.* 6. *c.* 8. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 5. *num.* 46. & cum variis Barbosa *de offic. & potest. Episcop. d. allegat.* 32. *num.* 12. Qui intra duos menses post denuntiationes factas matrimonium non contraxit; non potest illud inire, nisi aliæ denuntiationes, vel saltem una, aut duæ arbitrio Episcopi reperantur, & sic de-
15 cisum fuisse à Sacra Congregatione referunt Bellar. & Farinac. *ad cap.* 1. *ses.* 24. *Concil. Tridentin. de reform. matrimon.* teste Panimol. *part.* 3. *decis.* 173. *annot.* 1. *n.* 28. quamvis alii dicant decisum fuisse pro termino quatuor mensium. Et de facto in rituali Romano prescribitur terminus duorum mensium, ita ut nisi infra dictum tempus matrimonium celebratum fuerit, sint denuntiationes reperendæ, cui totius est inhærere, ut recte dicit Corrad. *in prax. dispensat. Apostolic. lib.* 7. *c.* 7. *num.* 22. Denuntiationes quando omittuntur, debent infra octo dies fie- 16
ri à die contracti matrimonii, & interim non debet matrimonium consumari; Sic decisum fuisse in Sacra Congregat. referunt Barb. *loc. cit. num.* 55. & de Justis *loc. cit. num.* 199. Chamerata, & alii.

Denuntiationes non possunt fieri diebus ferialibus, 17
etiam cum dispensatione Episcopi; Sic decisum fuisse à Sacra Congregat. refert *praxis Neapolitan. cap.* 26. *num.* 10. quam refert Riccius *in praxi fori ecclesiastici resolut.* 224. *num.* 3. *in nova impress.* & Barbosa *loc. cit. n.* 14. Episcopus enim non potest dispensare super conciliari dispositione, cum inferior non possit se ingerere in lege superioris; *Cap.* Cum inferior *de major. & obed.* (*Leg.* 2. *tit.* 1. *p.* 2. *cum leg.* 5. 6. & 7. *ejusd.*). Possunt tamen fieri 18
in die profesto, & quando ingens populi multitudo ad ecclesiam accedit, ut contingere solet in concionibus, processionibus, litaniis; cum Concilii fini hoc modo satisfiat ratione magni populi concursus: Qui autem satisfacit fini, & intentioni legis, satisfacit legi ipsi; *arg. c.* Humanæ aures 11. *caus.* 24. *quæst.* 5. ibi: "Non debet »aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentio»nem, quia non debet intentio verbis deservire, sed »verba intentioni;" & *leg.* Scire 16. *ff. de Legib.* ibi: "Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim, »& potestatem." (*Concordat lex* 5. & 13. *tit.* 1. *p.* 1.) Sic Sanchez *lib.* 3. *disput.* 7. *num.* 9. Reginald. *lib.* 31. *num.* 227. Gutier. *de matrimon. cap.* 56. *num.* 8. Layman *l.* 3. *tract.* 10. *c.* 4. *n.* 9. & alii passim cum Barbosa *loc. cit. num.* 15. Immo denuntiationes valide fieri possunt 19
etiam extra ecclesiam, & missarum solemnia, si magnus adsit populi concursus, & locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniat; *Sic Doctores mox citati* propter eamdem rationem. Denuntiationes matrimoniales ex justa causa possunt etiam fieri diebus festivis, dum cantantur Vesperæ; Sacr. Congr. Conc. *in Avenionen.* 25. *Octobris* 1586. *lib.* 4. *decreti fol.* 188. Denuntiationes matri- 21
moniales an fieri debeant in missa parochiali, vel conventuali in illa ecclesia, quæ est simul parochialis & collegiata, relinquitur parochi arbitrio, quando pro utraque est populi concursus. Sac. Congr. Conc. *in Novar.* 1. *Julii* 1724. Denuntiationes matrimoniales possunt fieri eo 22
tempore, quo nuptiæ prohibentur. Sac. Cong. Episcop. 17. *Decemb.* 1589. Vicarius generalis non potest impedire, 23
ne parochus faciat matrimonii denuntiationes absque sua licentia. Sac. Congr. Concil. 27. *Maii* 1627.

Denuntiationes faciendæ sunt à proprio contrahen- 24
tium parocho, vel ab alio substituto ab ipso parocho, textu expresso, in Conc. Trid. *l. c.* ibi: *A proprio contrahentium parocho*, & sic communis Doctorum.

✠ Recte prorsus hic docet auctor, denuntiationes quæ matrimonium præcedere debent, faciendas esse à proprio contrahentium parocho, juxta Concilii Tridentini doctrinam, vel ab alio substituto ab eodem parocho; ubi advertendum est, substitutum à parocho ad denuntiationes faciendas Sacerdotem esse debere, neque sufficere parochum quidem substitutum, sed Diaconum; id siquidem contrarium foret determinationi Concilii Tridentini. ✠

Si sponsi sint ex diversis parochis, debent fieri de- 25
nuntiationes in utraque parochia. Sic decissum fuisse à Sacra Congr. Conc. refert Sanch. *lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 4. & Bosco *part.* 5. *disp.* 21. *sect.* 10. ex Farinac. his verb. *Quando matrimonium contrahitur inter duos de diversis parochiis, debent in ambabus fieri denuntiationes.* Et sic etiam statuitur in rituali Romano de sacramento matrimonii, ibi: *Si vero vir, & mulier parochiæ sint diversæ, in utra-*
que parochia fiant denuntiationes. Si contrahentes plura 26
habuerint domicilia, seu plures parochias, debent fieri denuntiationes in parochia, in qua actu habitant cum vero animo ibi permanendi, ut salvetur dispositio Conc. Trident quod denuntiationes fiant... *A proprio contrahentium parocho*; qualis est parochus, in cujus parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium intendunt contrahere, ut teste Bosco *part.* 5. *disputat.* 11. *sect.* 10. *num.* 400. declaravit Sacra Congregatio his verbis: "Pro»prius Parochus est, in cujus parochia contrahentes habi-

»bitant tempore, quo matrimonium contrahitur," Ab aliis autem parochis, in quibus habitarunt in ætate capaci contrahendi matrimonium, vel canonica impedimenta ad ipsum, debent referre suum proprium statum liberum legalitate illius parochiæ, & diœcesis Ordinarii munitum, & exaratum ad normam Instructionis à suprema, & universali Inquisitione editæ 21. *Augusti* 1670. & à
27 Clemente V. confirmatæ in sua Constitutione *incip.* Cum alias, seu etiam ad normam literæ encyclicæ à Sacra
28 Congreg. S. Officii directæ omnibus Ordinariis, sub die 31. Octobris 1699. Denuntiationes matrimonii contrahendi inter exteros non sunt faciendæ à parocho sine licentia Ordinarii. Sacr. Congreg. Episcop. & Regular. 20. *Decembris* 1692. Et Sacra Congregatio S. Officii *in dict. Instructione sub num.* 7. Denuntiationes in missa-
29 rum solemniis publicare non possunt Regulares. Sic decisum fuisse à Sacr. Cong. Concilii referunt Lezana *in Summ. quæst. Regul. cap.* 12. *n.* 41. *vers. ad* 6. & Barbosa *in Summ. Apostolicar. decis. verb.* Denuntiationes Matrimoniales *num.* 5. (*Vide* §. 22. *Brev. Sanctitatis D. Clementis XIII.* 17. *Aug. ann.* 1768. *in add. hisp. verb.* Impedimenta matrimonii *vers.* In hispaniæ :: *in fin. cum simili anotat. verb.* Capellanus militum)

30 Ex justa causa potest Ordinarius remittere denuntiationes matrimoniales. Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 1. ibi: *Nisi Ordinarius ipse judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius pru-*
31 *dentiæ, & judicio S. Synodus relinquit.* Tales denuntiationes potest remittere etiam Vicarius Generalis absque ulla speciali commissione, aut mandato; Vicarius enim Generalis est vere Ordinarius, habetque veram Jurisdictionem ordinariam, & quidem eamdem cum Episcopo, *arg. cap.* Romana, §. 1. *de appellat. in* 6. *juncta Glossa. ib. verb.* Generaliter, & alia Gloss. *in c.* Licet 2. *verb.* Officialem, *de Offic. Vicarii in* 6. & ideo à Vicario Generali non datur appellatio ad Episcopum, textu expresso *in c.* Non putamus 2. *de consuetudine in* 6. ibi: "Non puta-
»mus illam consuetudinem quantocumque tempore de »facto servatam consonam rationi, quod ab Officiali »Episcopi ad eumdem Episcopum valeat appellari: Ne »ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utrius-
»que) appellatio interposita videatur." Et sic fere com-
»muniter tenent Doctores cum Barbosa *l. c. num.* 29. De
32 Justis *l. c. num.* 202. Sanchez *l. c. num.* 10. plurimos alios citantibus. Sic etiam dispensare possunt in denuntiationibus matrimonialibus omnes alii Prælati Ecclesiastici, seu Abbates, qui jurisdictionem quasi episcopalem in aliquo territorio obtinent sine ulla subjectione ad aliquem Diœcesanum; isti enim sunt vere Ordinarii; *l.* More majorum, *ff. de jurisd. omn. Jud. cap.* Ord. 3. *de offic. Ord. in* 6. *juncta Glors.* ibid. *verb.* Locorum. Omnis autem Ordinarius habet talem potestatem, quia cum Trid. *dict. sess.* 24. *de ref. matr. cap.* 1. *indistincte* loquatur de Ordinario, de eo indistincte venit intelligendum; *arg. cap.* Quia circa 22. *de Privil.* Sic Sanchez *lib.* 3. *disp.* 7. *n.* 4. Navarrus *lib.* 4. *consil. de clandestin. dispensat. consil.* 2. Reiffenstuel *lib.* 4. *decret. tit.* 3. *num.* 34. de Justis *loc. cit. num.* 207. & *seq.* Et quamvis Rebellius, Armend. Gar-
33 zias, Hurtado, & alii referant declaratum fuisse contrarium à Sacra Congregat. tamen ab ipsa declaratione recessum fuisse patet ex alia resolutione Sac. Congr. Concil. à Sanctissimo approbata, & emanata ut sequitur. "In »una Nullius, seu Baren. die 23. Martii 1624. Sacra »Congreg. censuit referendum S. D. N. qui Sanctissimus »ejusdem Sacræ Congregationis audita sententia decla-
»ravit præfatos inferiores nullius diœcesis proprium ter-
»ritorium, & jurisdictionem quasi episcopalem habentes »utique posse legitimis ex causis denuntiationes matri-
»moniales remittere." Sic refert Panimoll. *part.* 3. *decis.* 173. *adnot.* 1. *num.* 3. Immo contrariam declarationem non fuisse usu receptam, utpote quia ubique Prælati habentes jura episcopalia utantur facultate remittendi denuntiationes ex rationabili causa, subdit Bossius *de matr. cap.* 8. §. 26. *num.* 52. *vers.* sed illa declaratio & ipse Panimoll. *loc. cit. num.* 5.

34 Episcopus, & quilibet alius Ordinarius, in cujus diœcesi celebrandum est matrimonium, potest cum utroque sponso dispensare, licet unus sit alterius diœcesis, dummodo saltem Ordinarius alterius contrahentis testetur in sua diœcesi nullum subesse impedimentum; Remissio enim Ordinarii, in cujus diœcesi matrimonium est contrahendum numquam sufficit, nisi Ordinarius alterius contrahentis, vel ipse etiam remittat, vel saltem testetur in sua diœcesi nullum subesse impedimentum, ut censuit Sac. Congr. Concil. *in una Vicen.* prout etiam statutum fuit in *Concilio Mechlinienti* Romæ approbato *de anno* 1570. *in tit. de sponsal. cap.* 3. & *seq.* de quo Boss. *de matrimon. cap.* 7. §. 18. & 19. Sic refert, & tenet Panimoll. *loc. cit. num.* 2. Archiepiscopus non potest remittere denuntiationes matrimoniales in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi quando coram eo pendet lis in gradu appellationis super facto matrimonii, vel ex gravamine non remittendi ex causa denuntiationes & in executione suæ sententiæ: Ipse enim Archiepiscopus non est Ordinarius in diœcesibus suorum Suffraganeorum, nisi in causis sibi devolutis per appellationem, & in casibus expressis *in cap.* Pastoralis, *de Offic. Ordin.* vel dum in actu diœceses visitet Suffraganeorum, ejusque Subditorum, Segura *in Direct. Jud.* 2. *part. cap.* 16. *n.* 50. Boss. *de matr. c.* 4. §. 19. *n.* 51. & *c.* 7. §. 19. *per totum.* Spin. *de testament. glors.* 15. *n.* 38. & 39. Panimoll. *loc. cit. num.* 18. & 19. Barbosa *loc. cit. n.* 125. Sanchez & Pontius, & alii passim. Episcopus, seu alius Ordinarius potest alteri delegare facultatem dispensandi in denuntiationibus: potest
36 enim hoc facere omnis habens ordinariam jurisdictionem; eo vel maxime quod quando fuit Ordinariis concessa potestas dispensandi in denuntiationibus, non fuit electa industria personæ; cum non censeatur eligi industria personæ, quando delegatio fit personæ incognitæ, & indeterminatæ, ut quando fit Prælatis præsentibus, & futuris, sicuti accidit in facultate concessa Ordinariis ad dispensandum in denuntiationibus. Sic Sanchez *lib.* 3. *disput.* 7. *num.* 20. Reginald. *lib.* 31. *num.* 235. Coninch. *dis-*
37 *put.* 27. *num.* 35. *conclus.* 3. & cum plurimis aliis Barbosa *loc. cit. num.* 36. Vicarius Generalis quamvis non possit facultatem dispensandi in denuntiationibus delegare generaliter ex quo non possit constituere alium Vicarium Generalem, *cap.* Clericis *de offic. Vicarii*, potest tamen unam vel alteram causam delegare. Barbosa *loc. cit. numer.* 37. Bonacina *de matrim. quæst.* 2. *punct.* 6. *num.* 7. cum Sanchez, Guttier. Reginald. & aliis.

Ad hoc ut Episcopus, & quilibet alius Ordinarius
38 licite dispenset in denuntiationibus, requiritur justa, & rationabilis causa; sine enim justa, & rationabili causa dispensatio non est dispensatio, sed dissipatio, ut recte dicit Sanctus Bernardus *lib.* 3. *de consid.* paulo ante finem, allegans verba Divi Pauli 1. *ad Corinth. cap.* 4. "Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur; »Ubi necessitas urget; excusabilis dispensatio: Ubi uti-
»litas provocat, dispensatio laudabilis est: Utilitas dico »communis, non propria; nam cum nihil horum est, non »plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est."
39 Unde Ordinarius remittendo dictas denuntiationes sine justa, & rationabili causa, peccaret mortaliter, quia ageret contra legem in materia gravi; cum enim Concilium *cit. session.* 24. *de reform. matrimon. cap.* 1. hoc negotium relinquat prudentiæ, & judicio Ordinarii, ita ut si expedire judicaverit, dispenset, intelligi debet, ut ejusmodi arbitrium sit prudentiale, & regulatum. Sanchez *lib.* 3. *disput.* 8. *num.* 1. Trullenk *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 9.
40 *num.* 5. De Justis *lib.* 2. *cap.* 19. *de matrim. clandestin. numer.* 132. Reiffenstuel *lib.* 4. *decretal. tit.* 3. *num.* 28. & cum aliis Barbosa *super Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim. num.* 60. Non tamen necesse est, ut Ordinarius
41 hujusmodi causas cognoscat judicialiter, sed sufficit, ut ex informationibus extrajudicialiter habitis sibi videatur justam dispensandi causam adesse, ut bene advertunt Sperell. *decis.* 109. *num.* 50. Sanchez *loc. cit. num.* 4. Barbosa *loc. cit. num.* 61. De Justis *loc. cit. num.* 135. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 32. *num.* 234. Riccius, Bonacina & alii. Episcopus, seu Ordinarius non solum potest tunc dispensationem concedere dum est in sua diœcesi; sed etiam dum est extra illam, quia hujusmodi dispensatio non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, San-

Sanchez *lib.* 3. *disp.* 8. *num.* 6. *vers.* Secundo infertur. De Justis *loc. cit. num.* 139. Pyrrhus Corrad. *Praxis disp. Apostolic. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 27. & alii passim. Episcopus, seu Ordinarius non potest ratione hujusmodi denuntiationum remissionis, ac dispensationis præcise imponere aliquam pecuniariam mulctam. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 10. *n.* 9. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 5. *num* 180. Aversa, *quæst.* 7. *sect.* 2. *vers.* Dumque Prælatus, Bossa, *cap.* 7. *num.* 105. De Justis, *loc. cit.* & alii. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum concedit quidem dispensandi facultatem, non tamen concedit, ut possit Ordinarius obligationem legis in aliam materiam commutare; Immo
35 *sess.* 25. *cap.* 18. præcipit dispensationes gratis fieri de-
43 bere. Excipe tamen, nisi aliquod delictum præberet justam causam dispensandi, v. gr. ob concubinatum, vel deflorationem virginis; quia tunc poterit non ratione dispensationis, sed in pœnam delicti aliquam mulctam injungere. Sanchez, & De Justis *loc. cit.* & alii.

44 Justæ causæ principaliores dispensandi in hujusmodi denuntiationibus enumerantur. *Prima est*, periculum animæ, ut si duo concubinarii velint matrimonium contrahere, ut in bono statu constituantur, & periculum sit, ne interim, dum fiunt denuntiationes, carnaliter commisceantur. Sanchez *loc. cit. num.* 17. Bossa *loc. cit. n.* 94. Filliuc. *loc. cit. num.* 178. De Justis, *loc. cit. nu-*
45 *mer.* 173. *Secunda*, si quis in mortis periculo constitutus velit concubinam ducere, sive ut secutior suus transitus reddatur, sive ut proles ex ea suscepta legitima eva-
46 dat. Sanchez *loc. cit. num.* 10. cum communi. *Tertia est*, dum repentinus casus offert rationem statim contrahendi matrimonium, ut si qui in concubinatu deprehensi, essent plectendi à Judice, & ideo ad effectum, ut Judici dicere possint se esse conjuges, & se eximere à pœnis, poterit super denuntiationibus dispensari. Sanchez, *loc.*
47 *cit. num.* 16. Bossa *num.* 91. Filliuc. *n.* 118. *Quarta est*, si quis esset statim longe abiturus, & ad reparandum honorem fœminæ, vel ad prolem legitimandam vellet ex improviso ante discessum contrahere. Bossa *loc. cit. nu-*
48 *mer.* 91. De Justis *loc. cit. num.* 172. *Quinta est*, si aliqui in concubinatu permanentes existimantur tamquam vir, & uxor, quia verecundia, quam haberent in publicando hujusmodi matrimonio, sufficit pro causa dispensationis in ipsis denuntiationibus. Sanchez *loc. cit. num* 5. Silves-
49 ter *verb.* Matrimonium 6. *quæst.* 7. *distinct.* 2. *Sexta est*, quando probabiliter timetur matrimonium injuste esse impediendum, aut per maleficia, aut per parentum, vel aliorum fraudes; Francisc. Molin. *de ritu nupt. lib.* 1. *difficult.* 11. *num.* 51. Marcell. Vulpe *in praxi Judic. fori eccles. cap.* 15. *n.* 20. Barbosa *de offic. Episc. d. allegat.* 32.
50 *num.* 41. *Septima est*, quando inter contrahere volentes adest disparitas conditionis, ætatis, divitiarum, & qualitatis, quando scilicet nobilis cum ignobili, pauper cum divite, honestæ vitæ cum turpi, & infami matrimonium contraheret. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 9. *n.* 3. Navarr. *in manual. cap.* 21. *num.* 70. *vers.* Advertendum, Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb.* Matrimonium, §. 6. *in fine.* Bar-
51 bosa *loc. cit. num.* 46. *Octava est*, quando Magnates contracturi sunt matrimonium, quia cum magna deliberatione solet tractari, eorumque impedimenta valde nota sunt, si quæ adsint. Sanchez *d. disp.* 9. *num.* 6. De Justis *loc. cit. num.* 162. Jacob. de Grassis *in dec. aureis, part.* 1. *lib.* 1. *c.* 85. Barbosa, *loc. cit. num.* 45. *Nona est*,
52 quando tempus, quo nuptiæ prohibentur, instat, ita ut nequeant omnes denuntiationes præmitti. Zerola *in praxi Episc. part.* 1. *verb.* Matrimonium, §. 9. *in med.* Reginald. *lib.* 31. *n.* 324. *vers.* quarta, Genuens. *in praxi Archiepiscop. cap.* 26. *num.* 3. Barbosa *loc. cit. num.* 48. *Deci-*
53 *ma est*, si virgo sit sub tutela iniqui tutoris, qui eam viro ignobili, & disparis conditionis tradere intendit. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 9. *num.* 12. Genuens. *loc. cit. vers. quarta.* Bossa *de matrim. cap.* 7. *n.* 81. De Justis *loc. cit.*
54 *num.* 160. Barbosa *loc. cit. num.* 42. *Undecima est*, si vir fœminam defloravit, & damnum amissæ virginitatis reparare intendit, & si matrimonium causa præmittendi denuntiationes differatur, periculum esset in mora. San-
55 chez *loc. cit. num.* 15. Barbosa *loc. cit. num.* 61. De Justis *loc. cit. n.* 182. *Duodecima est*, si periculum adsit, ut aliquis ex contrahere volentibus mutet voluntatem, & id tenderet in præjudicium animæ, ut quando meretrix in lupanar exposita velit matrimonium contrahere, ut sic à malo statu, in quo reperitur, desistat, & periculum adsit, ne ipsa, aut sponsus mutet voluntatem, si contractus matrimonii differatur, dum sint factæ denuntiationes. De Justis *loc. cit. num.* 172. cum Sanchez, Fil-
liuc. & Aversa. *Tertiadecima est*, dum aliquis ex publi- 56
cis denuntiationibus, aut ex dilatione tot dierum timeret sibi aliquod grave damnum, molestiam, aut amissionem alicujus notabilis commodi sibi, vel suis conjunctis, Avers. *quæst.* 7. *sect.* 2. *vers.* Pluresque, De Justis *loc. cit. num.* 174. *Quartadecima* est vitatio scandalorum ob ali- 57
quam factionem, quæ cessaret statim secuto matrimonio. Sanchez *loc. cit. num.* 18. Stephanus à S. Gregorio *lib.* 3. *cap.* 97. De Justis *loc cit. num.* 176. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 25. *Quintadecima est*, quando moraliter certum 58
est, nullum adesse impedimentum, aut aliud obstaculum, quia causa, ob quam fuerunt ordinatæ denuntiationes, ea fuit, ut impedimenta detegantur; si ergo moraliter certum est, nullum adesse impedimentum, poterit in denuntiationibus dispensari. Bosco *loc. cit. n.* 146. De Justis *loc. cit. num.* 161. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 27. & cum pluribus aliis à se citatis Sanchez *lib.* 3. *disp.* 9. *n.* 7.

Episcopus, seu alius Ordinarius licet propter omnes 59
supra dictas causas, vel alias consimiles possit in denuntiationibus matrimonialibus dispensare, non tamen tenetur dispensare semper propter omnes; quia non omne, quod potestati Judicis committitur, id Juris necessitati subjicitur; *leg. Non quidquid, ff. de judiciis*; (*Conducit lex* 4. *tit.* 22. *p.* 3. 2. *tit.* 9. *p.* 5.) dispensatio enim etiam legitima, & ex causa facta, adhuc vocatur gratia, & misericordia; *cap.* Licet Canon 14. *de elect. in* 6. ibi: *Possit Ordinarius dispensationis gratiam facere*; cap. Didici 15. *caus.* 1. *quæst.* 7. ibi: *Dispensationis enim gratia*; c. Pastoralis 7. *de Cler. excom. ministrant.* ibi: *Nisi misericorditer cum eis fuerit dispensatum*; adeoque si subinde ex sola gratia, & misericordia fit, non semper necessario fit. Sic Sanchez *lib.* 3. *disp.* 10. *num.* 3. Pontius *lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 6. Guttierez *lib.* 1. *Can. qq. cap.* 20. *num.* 33. Palao *de Sponsalib. disp.* 2. *punct.* 13. §. 5. *num.* 1. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 41. & fere communis aliorum contra plures à Sanchez relatos, volentes, quod Episcopus, seu alius Ordinarius semper teneatur dispensare, quoties interve-
nit aliqua justa causa dispensandi. Tenetur autem Or- 60
dinarius sub mortali dispensare in denuntiationibus quoties dispensatio servit pro bono communi, & quoties conducit ad acquirendum notabile bonum privati, vel ad avertendum periculum incurrendi notabile damnum in bonis animæ, famæ, & corporis, aut fortunæ; & ratio est, quia Prælatus ex officio tenetur providere, & bono communi, & particulari subditorum, illorumque periculis obviare; ergo quoties dispensatio facit pro notabili bono acquirendo, aut pro notabili malo avertendo, tenetur sub mortali Ordinarius illam concedere. Sanchez *de matr. leg.* 3. *disp.* 10. *num.* 6. Guttierez *de matr. cap.* 57. *num.* 4. 5. Barbosa *de offic. Episc. dict. alleg.* 32. *n.* 51. & *super Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrimon.* Bossa *de matr. c.* 7. §. 25. *n.* 103. & *seq.* Bonac. *de matr. quæst.* 6. *num.* 7. Zypæus *lib.* 4. *tit. de matrimon.* & *Sponsal. num.* 11. *vers.* & *existente causa.* Hurtad. *de matrim. disp.* 5. *diffic.* 20. *n.* 7. *vers. nos ergo*, Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 5. *n.* 179. Panimol. *part.* 3. *decis.* 173. *annot.* 1. *n.* 44. De Justis *loc. cit. num.* 143. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 42. & alii plurimi. In prædictis casibus, in 61
quibus tenetur Ordinarius dispensare, potest ab eo appellari de injusta denegatione dispensationis, & quoad effectum devolutivum & quoad effectum suspensivum, quia ille, cum quo est dispensandum, habet actionem ex præcepto legis, ut secum dispenset, Sanchez *lib.* 3. *disp.* 10. *d n.* 12. & præsertim *num.* 20. Filliuc. *loc. cit. n.* 181. Guttierez *loc. cit. cap.* 57. *n.* 5. Pellicion. *q.* 6. *cap.* 1. *pag.* 1035. *col.* 2. De Justis *loc. cit. n.* 147. & alii. In casibus vero, in quibus adest justa causa dispensan- 62
di, & non stricta, & rigorosa obligatio dispensandi, tunc si Ordinarius nolit dispensare, poterit ab justa denegatione appellari ad effectum solum devolutivum, non au-

autem suspensivum. Sanchez *d. disp.* 10. *num.* 19. & *numer.* 21. Avers. *quæst.* 7. *sect.* 2. Filliuc. *loc. cit.* Stephanus à S. Gregorio *loc. cit. num.* 12. De Justis *loc. cit. num.* 148. & eo casu Superior tenebitur, vel dispensare, vel cogere inferiorem, ut dispenset. Sanchez & Filliuc. *loc. cit.* Barbosa *d. allegat.* 32. *num.* 52. Hostiens. *in summa lib.* 5. *tit. de dispens. num.* 2. Sperell. *dec.* 111. *num.* 11. De Justis *loc. cit. num.* 149.

63 In casibus, in quibus necessaria est dispensatio, vel pro legitimanda prole, ut si morti proximus velit cum concubina contrahere, vel ad evitandum periculum infamiæ, aliaque gravia imminentia scandala, & mala, & Ordinarius adiri non posset pro dispensatione, seu injuste, & indebite dispensationem denegasset, & periculum esset in mora, tunc parochus posset sine denuntiationibus matrimonio assistere, non quidem dispensando, sed declarando eas non obligare in similibus urgentibus casibus, quia necessitas nullam legem agnoscit: *cap.* Consilium 2. *de observatione Jejuniorum*, ibi: *Cum non subjaceat legi necessitas, & leg. unic. ff. de offic. consult. leg.* Aliquando 5. *ff. de Proconsul.* (*Ad rem l.* 4. *tit. tut.* 18. *p.* 2. ibi: Apresurado ::) Sic Siquillant. *de oblig. Cleric. part.* 2. *num.* 124. Sanchez *disp.* 10. *num.* 25. & 29. Layman *lib.* 5. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. Filliuc. *loc. cit. num.* 182. De Justis *loc. cit. num.* 144. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 3. *num.* 132. Gobat *tract.* 10. *num.* 403. & sequent. Pontius *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 7. Barbosa. *d. allegat.* 32. *num.* 53. Aversa *quæst.* 7. *sect.* 2. *vers.* Si tamen, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 39. & sic contractum fuisse validum quoddam matrimonium censuit Sacra Congregatio Concilii *in una Mediolanensi die* 23. *Februarii* 1530. ut refert, & tenet Pirrh. Corrad. *in praxi dispens. Apostolic. leg.* 7. *cap.* 7. *num.* 26. Hinc patet denuntiationes non requiri ad validitatem matrimonii, cum per omissionem earum etiam sine Ordinarii dispensatione non reddatur nullum matrimonium, ut censuit Sacr. Congr. Conc. *in una Mediolanens. die* 24. *Septemb.* 1591. tenoris sequentis; Sacra Congregatio Concilii *censuit, matrimonium contractum non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse.* Et in alia *Juridin. de mense Novemb.* 1587. *censuit omissione denuntiationum, & contradictione parochi adhibiti non effici nullum matrimonium.* Sic refert Panimoll. *part.* 3. *dec.* 173. *adnotat.* 1. *num.* 1. & tenet communis Doctorum, & continua praxis.

65 Post factas denuntiationes, qui novit aliquod impedimentum inter volentes contrahere, etiamsi occultum sit, & illud probare non possit, tenetur sub peccato mortali vi talium denuntiationum manifestare dummodo tamen absque suo gravi incommodo, aut præjudicio id facere possit. Et ratio est, quia quivis tenetur avertere ruinam spiritualem, & grave peccatum alterius, atque irreverentiam sacramenti, si commode, & absque sui præjudicio potest; unde cum in casu nostro hoc possit, ex quo revelando impedimentum facit, quod alii contrahendo graviter non peccent, & ne gravis irreverentia irrogetur sacramento, quod aliàs fieret, stat evidenter teneri sub gravi ad manifestandum; ita Guttier. *Can. leg.* 1. *cap.* 11. *num.* 12. & 27. & *de matrim. c.* 59. *num.* 9. Sanchez *leg.* 3. *disp.* 13. *num.* 2. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 7. *num.* 61. Reginald. *leg.* 31. *num.* 128. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 49. Hurtad. *de matrim. disp.* 5. *dist.* 21. Bonacin. *de matrim. quæst.* 2. *punct.* 6. *num.* 20. Covarr. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 6. §. 20. *num.* 21. Navarr. *in manual. cap.* 21. *num.* 83. Barbosa *dict. allegat.* 33. *num.* 25. & *super Trident. dict. sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 1. *num.* 34. &

66 alii passim. Nec excusabitur ab obligatione denuntiandi, quamvis ex ipsa denuntiatione secuturum sit damnum tertio, & quamvis etiam ipse solus impedimentum sciverit, vel sub secreto acceperit, vel ab aliis dici audierit, dummodo personæ à quibus dici audivit, sint

67 fide dignæ; Non tamen si accepisset à persona nil certum sciente, vel levi, vel si non meminit, à quibus dici audierit. Sanchez *leg.* 3. *disp.* 13. *num.* 7. Pont. *leg.* 5. *c.* 34. *num.* 1. Bonacina *loc. cit.* Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 185. Boss. *de matr. cap.* 7. *à num.* 164. Avers. *quæst.* 7. *sect.* 4. Barbosa *loc. cit.* De Justis *loc. cit. n.* 211.

68 & 212. Cognoscens aliquod impedimentum, vel sub secreto, vel occultum, ita ut solus ipse noverit, & tale impedimentum oritur ex infamia, aut peccato, & contrahentes sunt in bona fide, non tenetur detegere, sicut non tenetur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo. Barbosa *dict. alleg.* 32. *num.* 26. & *super Trid. loc. cit.* 35. Chamerata *dub.* 27. *vers.* 9. Bonacina *d. punct.* 6. *num.* 20. Basil. Pont. *de impediment. matr. cap.* 26. §. 4. *vers.* Denique, Hurtad. *d. de offic.* 21. *num.* 75. F. Emmanuel *in summa p.* 1. *cap.* 217. *num.* 9. De Justis *loc. cit. num.* 222. & alii. Et quod non teneatur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo est communis cum Pontio *l.* 5. *c.* 34. *num.* 2. quia charitas non obligat magno cum damno proprio avertere alterius damnum, sive spirituale, sive aliud.

* Denuntiationes matrimonii sine gravi causa non 69
sunt omittendæ: Benedict. XIV. tom. 1. const. 35. *incip.*
Satis vobis, §. 5. Nec super trina denuntiatione matri- 70
monii est facile dispensandum. Idem ibid. § *const.* 85.
incip. Nimiam, §. 1. & 13. Dispensandi facultas adimi- 71
tur Nuncio Apostolico in Regno Poloniæ commoranti,
Idem *ibid.* §. 16. denuntiationum lex pro contrahendis
matrimoniis in Servia, & finitimis regionibus est ser-
vanda. Idem *ibid.* constitut. 89. *incip.* Inter omnige- 72
nus, §. 11. *

☞ De origine denuntiationum matrimonii, vide, si 73
lubet, Rouseaud de la Combe *in sua Jurisprudentia*
Can. verb. Ban de Mariage *sect.* 1. *num.* 1.

Mire inter se dissentiunt Doctores de tempore, quod 74
à factis denuntiationibus ad matrimonium elabi debet, ut
eæ repetantur. Alii tenent, tunc demum esse reperenda 75
denuntiationes, quum annus elapsus est. Alii sufficere
arbitrantur, si elapsi sint menses quatuor, ut denuntia-
tiones repetantur. Alii, quos sequitur *Auctor num.* 15. 76
duos menses satis esse volunt pro repetitione denuntia-
tionum. Et hunc terminum statuit D. Carolus Borro-
mæus *in Concil. Mediolanens. V. tit.* 17.

Nata inde est hæc varietas quod in jure nihil de hoc 77
tempore sancitum est. Ego cum Rouseaud de la Combe
in sua Jurisprudentia Canonica, verb. Ban de Mariage
sect. 3. *num.* 2. censeo, terminum hunc dependere debe-
re à circumstantiis, tum à prudentia Episcopi. Quod si 78
aliqua suspitio sit de novo aliquo impedimento, repe-
tendæ sunt denuntiationes, quamvis nec duo menses
sint elapsi.

Tametsi nonnulli cum *Auctore num.* 18. & *plur. se-* 79
quent. sentiant, denuntiationes fieri posse diebus non 80
festis, si magnus sit populi concursus, & quidem etiam
extra ecclesiam, tum fieri posse in ecclesia diebus festis,
dum celebrantur vesperæ, *Concilium* tamen *Tridentinum,* 81
ut observat Rouseaud de la Combe *in sua Jurisprudentia Canonica, verb.* Ban de Mariage *sect.* 3. *num.* 4. aperte contrarium est, eo ipso quod decrevit, ut fiant de- 82
nuntiationes diebus festivis inter missarum solemnia.

Opinio *Auctoris num.* 31. quod Vicarius Generalis vi 83
solius generalis commissionis Vicariatus possit dispensa-
re super denuntiationibus, plures habet contradictores,
quos citat Leuren. *de Vicar. tract.* 1. *sect.* 3. *cap.* 3. §. 8.
quæst. 161. Sequitur autem mox laudatus *Doctor* eam- 84
dem *Auctoris* opinionem, sed una monet, posse Episco-
pos ejusmodi facultatem dispensandi super denuntiatio-
nibus &c. sibi ipsis reservare &c. *Unde* inquit, *an Vi-* 85
carius hic, & nunc in dictis denuntiationibus remittendis
dispensare valeat, colligendum ex mente Episcopi, & ex
consuetudine hujus, vel illius ecclesiæ; ita tamen ut si in
generali commissione Vicariatus, aut extra id expressum
non sit ab Episcopo; aut aliud habeat dicta consuetudo, id
possit Vicarius.

Dum contrahentes sunt duarum diœcesum, neces-
sario requiri, ut dispensatio super dispensationibus con-
cedatur ab utroque Episcopo contra Barbosam, San-
chez, Bonacina aliosque, quos sequitur *Auctor num.* 34.
tenet Rouseaud de la Combe *in sua Jurisprudentia Ca-*
nonica, verb. Ban de Mariage *sect.* 4. *dist.* 3. *num.* 6.

De causis, ex quibus concedi debet dicta dispensatio 86
confer Rouseaud de la Combe *in sua Jurisprudentia Ca-*
nonica sect. 4. *dist.* 2. ubi improbat causam illam, quam
fa-

87 affert *Auctor num.* 52. imminentis temporis, quo nuptiæ
celebrari nequeunt, & pro se allegat D. Carollum Borro-
mæum *in Concilio Mediolanensi V.*

88 Denuntiationes non esse necessarias, adeoque omiti-
ti posse, tenet Rouseaud de la Combe *in sua Jurispru-*
dentia Canonica, verb. Ban de Mariage *sect.* 4. *dict.* 1. si
celebratio matrimonii demandata sit decreto alicujus su-
premi tribunalis. ☞

(Nullum tempus, in quo nostra Sancta Mater Eccle-
sia clandestina matrimonia non fuerit detestata, occur-
rit: sic nostræ leges clamitant 1. *tit.* 1. *lib.* 3. *For. Reg. tit.* 3.
p. 4. 1. *tit.* 2. *lib.* 5. *Ord. Reg.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *Recop. Cast.* 49.
Taur. Vid. *addit. hisp. verb.* Matrimonium, *vers.* Super::
Conducunt *quæ in add. verb.* Parochia, & Parochus, *in-*
teruntur; Clandestinitas tripliciter *leg.* 1. & 5. *tit.* 3. *p.* 4.
cadebat in considerationem, quando abdità, & absque
testibus contrahebatur matrimonium, occupat primum
locum: secundum, dum sine consanguineorum notitia pa-
lam aut coram aliqueis celebrabatur: tertium obtinet, si
intentio contrahentium, eorumque nomina cum obliga-
tione denuntiandi, aliquo ad ejus celebrationem impe-
dimento invento, in ecclesia parochiali per ipsius præs-
byterum non patefiunt, nam de istis, qui sic græce de-
signantur, latine *senes*, satius *sacerdotes* & *duces sacri*
leg. 9. tit. 6. p. 1. ibi: *Como Cabdillos sagrados*, sacramenta
leg. 8. 21. & 22. *tit.* 4. *ejusd. p.* Christicolæ, excepto Con-
firmationis, recipere debent.

Hodie vero, Sacrosancti Tridentini Concilii disposi-
tione attenta, per quam decernitur, nullos, irritosque
esse hujusmodi, *de Reformatione matrimonii cap.* 1. con-
tractus aliter celebratos quam præsente parocho, vel
alio sacerdote de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia,
& duobus, vel tribus testibus: videtur clandestinitas
(ab Ecclesia est judicanda: *vide leg. sup. in princ. citat.*)
dumtaxat locum habere in casu quo, omissis denuntiatio-
nibus sive proclamationibus, ac sine aliqua cum paro-
cho interlocutione ad contrahendum se præsentent, ani-
mum in eumdem finem aperiendo; obviam ire per con-
sequens præjudiciis, ex conjugiis præmeditatè non cele-
brandis resultantibus eadem Sancta Synodus cupiens, &
ut quodlibet obstaculum celebrationem impediens dete-
geretur, sacri Lateranensis Concilii IV. Generalis XII.
tempore Sanctitatis D. Innocentii III. congregati vestigiis
inhærendo, præcipit de cetero, priusquam celebraretur
matrimonium, ter à proprio parocho publicè inter missa-
rum solemnia denuntiari, nisi aliud Ordinarius expedi-
re cogitaverit: ideo, tamquam protector *vid. add. verb.*
Forum, *vers. per tot.* Nemini in dubium :: ejusdem Con-
cilii Rex Catholicus Ordinarios hortatur, ut dispensa-
tiones denuntiationum voluntariæ evitentur: *Vid. add.*
hisp. verb. Exhæredatio, *præcipue in* §. 17. *Pragmaticæ*
Sanctionis, ibi: *citat.* vid. *etiam Auct. Acord.* 6. *tit.* 8. *lib.* 1.
vulgo Concordia Monseñor Facheneti, *cap.* 22. §. 11. ubi
suas facultates in ejusmodi dispensationibus ipsemet res-
trinxit.

Reminisci hic oportet *Reg. Sched.* 17. *Jul. ann.* 1784.
expediri mandatæ, in qua demonstratur praxis in obser-
vantiam dictæ Pragmaticæ virtute doctrinæ Cathecismi
S. Pii V. (eum cognosce) introducta ab oppidi lingua
vernacula *de Ager* Cathalauniæ principatu existentis
Archipresbytero, docentis, non bene operare filiosfamì-
lias, absque consensu, parentumque benedictione ma-
trimonium contrahere procurantes, eosque, cum in pec-
cato sint mortali constituti, ad sacramentorum partici-
pationem non esse admittendos: (siste parumper, & re-
flectito) quare differtur matrimonii celebratio usquequo
consensum paternum sollicitaverint: præterea patefe-
cit, primo, venia parentum obtenta, non solum dum
promulgationes (si illa deficit, nullo casu remittuntur)
fiebant, verum etiam in conjugiorum libro quando con-
trahentium & testium nomina, dies & locus contracti
matrimonii describuntur, adnotari circumstantiam hujus-
modi, *scilicet* quod celebratio, intercedente paterno ex-
presso consensu, procedebat: Secundo, dissentiente pa-
tre, ad judicem secularem voluntatis cognitionem remit-
ti, undique ulterioris processus in celebratione aditum
interea temporis præcludendo: præsentibus animadver-
sis, Consilium supremum Castellæ approbationem suam
praxi suprascriptæ interposuit: insuper Regia Majestas
decrevit, ut in omnibus suis ditionibus esset uniformis
observantia, eamdem expediri, omnes Ecclesiasticos ex-
hortando, ut curarent eamdem methodum custodiri.)

DEPOSITIO. Vide *verb.* Degradatio per totum.

DEPOSITUM, DEPOSITARIUS.

SUMMARIUM.

1 *Depositum potest accipi, & pro re deposita, & pro contractu; & quid sit utrumque.*
2 *Depositum sic dividitur in judiciale, & privatum; & quid sit Depositum Judiciale.*
3 *Depositum Judiciale alio nomine dicitur* sequestrum, *seu* sequestratio. *Et hæc sequestratio potest esse voluntaria, vel necessaria.*
4 *Quæ sit utraque hæc sequestratio,* ad num. 5.
6 *Assignatur aliud genus Depositi Judicialis.*
7 *Depositum privatum quid sit, & quale sit.*
8 *Depositarius non potest uti re deposita sine consensu expresso, vel tacito deponentis, aliter furtum committere censetur.*
9 *Si tamen Depositarius bona fide existimet id domino non displicere, tunc non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur.*
10 *Depositarius debet depositum custodire, & servare ea fide, ac diligentia, qua custodit, & servat res proprias.*
11 *Depositarius tenetur rem depositam restituere talem qualem accepit, non comminutam, &c.*
12 *Depositarius tenetur de dolo, & culpa lata.*
13 *Et adeo tenetur de dolo, ut neque valeat pactum de dolo non præstando.*
14 *Hoc tamen intelligi debet solum de remissione doli futuri, non vero de remissione doli præteriti.*
15 *Depositarius non tenetur de culpa levi, & levissima.*
16 *Excipiuntur tamen plures casus, in quibus depositarius tenetur etiam de culpa levi; Primo scilicet, quando expresse convenit, ut etiam culpa levis præstetur.*
17 *Secundo, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si seipsum ad recipiendum depositum obtulit.*
18 *Tertio, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si mercedem pro custodia recepit.*
19 *Quarto, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, quando requiritus ut depositum redderet, est in mora reddendi.*
20 *Depositarius non obligatur ad præstandum casum fortuitum, exceptis tribus casibus, si videlicet pactum, culpa, & mora culpabilis præcessit casum fortuitum; & quæ deponenti in re deposita liceant,* ad num. 29.
30 *Quæ obligatio ex parte monasterii, aut ecclesiæ, ex deposito in clerico, vel regulari,* ad num. 32.
33 *Depositarius inter res depositas, & suas quid servare debeat, si periculo sint expositæ* ad 38.
39 *Novæ add. inseruntur,* ad num. 59.

Depositum potest accipi & pro re deposita, & pro 1
contractu. Depositum sumptum pro re deposita defini-
tur sic: *Depositum est, quod custodiendum alicui datum*
est; *leg.* 1. §. 1. *ff.* depositi. Depositum sumptum pro con-
tractu, sic definitur: *Est contractus, quo aliquid alicui*
custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum resti-
tuatur, colligitur *ex cit. leg.* 1. *juncta Glossa, verb.* datum,
& est in re communis. (Proœmio, *& in leg.* 1. *&* 2. *tit.* 3.
p. 5. Consonat *lex* 5. *&* 6. *tit.* 15. *lib.* 3. *For. Reg.* Ad rem
leg. 15. *tit.* 18. *lib.* 5. *Rec. Cast.* 72. *tit.* 18. *p.* 3.) Depositum
ut sic dividitur in Judiciale, & Privatum. Depositum Ju- 2
diciale est, quando res in judicio controversa apud ali-
quem tertium deponitur, seu ipsi committitur custodien-
da, ut lite finita victori restituatur. Depositum Judicia- 3
le alio nomine dicitur *sequestrum*, seu *sequestratio*, quæ
se-